DE

METHODO THEOLOGIÆ.

Thenis, apud P.-J. Merckx, typographum civitatis.

DISSERTATIO

HISTORICO-DOGMATICA

DE METHODO THEOLOGIÆ,

SIVE DE AUCTORITATE ECCLESIÆ CATHOLICÆ

TAMQUAM REGULA FIDEI CHRISTIANÆ.

SCRIPSIT

N.-J. LAFORET,

S. THEOL. LICENTIATUS, ET IN UNIVERSITATE CATH. PHILOS. PROFESSOR.

LOVANII

APUD VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHOS.

—

1849.

ILLUSTRISSIMO, PIISSIMO, PRUDENTISSIMO, VIGILANTISSIMO

ECCLESIÆ NAMURCENSIS

PRÆSULI,

NICOLAO JOSEPHO DEHESSELLE,

VIRIS EXIMIIS, DOCTISSIMIS,

PETRO FRANC. XAV. DE RAM,

UNIVERSITATIS CATHOLICÆ RECTORI MAGNIFICO,

ET

ARNOLDO TITS,

S. THEOL. PROFESSORI, STUDIORUM SUORUM

IN GENERALI THEOLOGIA MODERATORI,

HANC SUAM LUCUBRATIONEM DEVOTISSIMO ANIMO

D. D. D.

Auctor.

PRÆFATIO.

Quid mihi consilii fuerit in hoc opusculo conscribendo paucis in ipso limine aperiam. Duo igitur mihi ob oculos potissimum fuere quæ ut assequerer perpetuo contendi. In primis nempe probare volui methodum institutionis atque auctoritatis qualis in Ecclesia catholica, quæ nunc est, cernitur, a Christo Domino fuisse constitutam, eamdemque unam veræ religioni esse accommodatam; principium autem inquisitionis et examinis privati, cui tamquam fundamento innititur protestantismus, cum instituto divino pugnare et ipsi religionis indoli prorsus adversari. Unde consequatur nihil reapse medium esse inter catholicismum et rationalismum, adeoque stare nequaquam posse christianæ religionis divinam indolem quin una consistat Ecclesia catholica.

Porro illud etiam mihi in consilio fuit ut, confutato protestantismo et Ecclesiæ auctoritate constituta, ipsi quoque scientiæ theologicæ aliquid incrementi simul afferrem. Quod quidem ut consequerer, quam maxima potui diligentia verum christianismi organismum ac integram structuram, prout ea in Ecclesia conspicitur, declarare, explicare ac illustrare studui; quo posito, quæ tandem esse hac in parte methodus theologiæ bene catholica et christianismi legibus ex toto consentanea ultro sequebatur. Et vero eam peculiari ratione exponere ac præfinire curavi.

PARS PRIMA, SEU HISTORICA.

SECTIO PRIOR.

ANTECESSIO.

Mirum fortasse videbitur me, de theologiæ christianæ methodo sermonem habiturum, non ab ipsa revelatione in Christo facta, atque ab ea ratione quam in hominibus erudiendis tum Dominus tum ejus apostoli tenuere, primum hujus tractationis exordium ducere; sed ad primævam religionem adscendere, simulque antiqui fœderis fata breviori calamo in antecessum persequi.

At cur hac via incedere statuerim plurimæ me moverunt causæ, eæque graviores quam ut illas contemnendas existimarem. Quid enim? Apud omnes christianos ratum profecto firmumque est, veram religionem inde ab orbe condito extitisse, eamque processu temporis ab uno populo a Deo in hunc finem electo puram et illibatam conservatam fuisse. Verum si divina fuit et primæva et mosaica religio, ex perspecto modo quo utraque illa conservabatur et populis tradebatur plurimum lucis exoriri ad ipsius religionis christianæ methodum illustrandam ac confirmandam fateamur necesse est. Deus enim sibi adversari nequit.

Igitur, ut id quod agimus perspicuis verbis jam declaremus, si ante Christum natum vera religio non, uti statuunt protestantes, privati cujusque examinis ac judicii arbitrio fuit permissa, sed auctoritatis ac institutionis externæ adminiculo conservata traditaque, quis sanæ mentis dixerit Deum, Christo nato, illico consilium mutasse, et ita quidem ut prorsus contrariam ei quam hactenus tenuerat viam sectari deinceps decreverit? Neque enim is est Deus qui plantet ut evellat, qui ædificet ut destruat. Nempe sive dogmata interna, sive formam externam ac methodum respicias, perfecit quidem Deus per revelationem christianam ea quæ antea inter homines electos vigebant instituta; at neutiquam damnavit aut etiam delevit.

Verum fuit et alia ratio quæ, ut rem sic altius repeterem, haud parum me impulit. Enim vero in veteri orbe, non veram religionem populumque electum tantummodo sumus conspecturi, at obiter etiam oculos convertentes in eas quæ à veri tramite defecerunt gentes, quæque hominis ebrii instar inter medias tenebras titubantes in varios erroris scopulos velut cæcis oculis prolapsæ sunt, ex earum historia exploratum erit, quem, deficiente externæ institutionis ejusdemque firmæ ac tutæ adminiculo, exitum sortitura sit religio. Nam, ut mihi quidem videtur,

gentium ethnicarum experimento jam pridem comprobatum est, quid in religionis negotio valeat nec-ne externa institutio; et, me judice, innumeri pene errores in quos inciderunt, principii auctoritatis, quo ex catholicorum sententia nititur christiana religio, veritatem pariter ac necessitatem commonstrant.

Deinde vero totius rei religiosæ historiam inde ab orbe condito uno obtutu conspicientes, melius providam illam Dei, qui universa numero, pondere et mensura regit ac moderatur, dispensationem sumus perspecturi ejusque momenta assecuturi.

His porro prælibatis, mox viam qua ab initio ad Christum usque tradita ac conservata fuit religio, quam brevissime poterimus, enarrare incipiamus.

CAPUT I.

DE RELIGIONIS ANTE CHRISTUM NATUM CONDITIONE.

Totius generis humani proto-parenti condito, mox Deus, ut testantur sacræ litteræ, dogmata præceptaque religionis tum naturalis tum supernaturalis revelavit. Itaque quemadmodum conditor, ita et doctor primi hominis Deus extitit. Adamus autem sic à Deo edoctus, veritates quas ex isto fonte nitidissimo manantes exceperat, posteris suis tamquam sacrum quoddam depositum integras illibatasque tradere jussus est. « Quia res, inquit S. Thomas (1), primitus à Deo institutæ sunt, non solum ut in seipsis essent, *sed etiam ut essent aliorum principia*, ideo productæ sunt in statu perfecto, in quo possent esse principia aliorum. Homo autem potest esse principium alterius non solum per generationem corporalem, sed etiam per instructionem et gubernationem. Et ideo sicut primus homo institutus est in statu perfecto quantum ad corpus, ut statim posset generare, *ita etiam institutus est in statu perfecto quantum ad animam*, *ut statim posset alios instruere et gubernare*. Non potest autem aliquis instruere nisi habeat scientiam, et ideo primus homo sic institutus est à Deo, ut haberet omnium scientiam, in quibus homo natus est instrui. »

Si homo à Dei mandatis non defecisset, sique in primæva innocentia, in qua constitutus fuerat, felix perstitisset, religio, semper intemerata permanens, a patribus ad filios, nulla falsi admixtione fœdata, pervenisset, atque æternum e mentis humanæ finibus error exsulavisset. At hominis culpa ordinem à Deo primitus institutum vehementer immutavit. Pater quidem, quemadmodum ante, ita et post peccatum filios instituit eosque religionem edocet; sed quam infelici discrimine! Etenim ex primævo instituto pater, veluti rivulus fonti perpetuo inhærens, et ex eo undam semper puram eliciens, filiis notam fecisset veritatem Dei incontaminatam; deinceps vero non amplius ab erroris periculo immunis extat paterna disciplina, atque ab isto rivo a fonte suo velut avulso aqua inquinata manare potest. Deus tamen, cujus misericordiæ non est numerus, genus humanum non deseruit: curavit autem ut religio sospes in terris adhuc versaretur et ab aliquot saltem hominibus recto animo coleretur. Methodum igitur quam viri electi in servanda colendaque religione iniverunt inspiciamus oportet.

Ea quæ hac de re dicenda sunt in duo fere membra partiri possumus. Priori membro viam qua ante scriptam legem religio tradebatur contuebimur; posteriori vero religionis statum tempore legislationis mosaicæ

(1) *Summa theol.* p. 1, q. 94, a. 9.

ad Christum usque perlustrabimus. Postremo quasdam adjiciemus animadversiones circa miserrimos religionis apud gentes infideles casus; et sic tribus omnino articulis definiemus ea quæ de rei religiosæ ante Christum conditione hic disserere præstituimus.

§ 1.

DE RELIGIONIS ANTE SCRIPTAM LEGEM CONDITIONE.

Peccato admisso genus humanum mox in duas velut familias sibi ex adverso oppositas dividi cœpit. Fratrem suum Abelem Caïn invidia percitus occidit, et fratricidæ posteri in fronte insculptum gerere videntur istius sceleris signaculum. Seth autem, ut vox ipsa sonat (1), Abelis loco sufficitur, et semen ejus à Deo benedictum nobis exhibet sacra Scriptura.

Quod si porro in hac remotissima antiquitate religionis, maxime apud Sethi filios, statum inspiciamus, id, quantum pro temporum vetustate assequi licet, nobis potissimum in oculos incurret. Nullum quidem apparet institutum publicum quo veritas tradatur tutoque a falso secernatur; vetabat enim exiguus familiarum numerus, vetabat ipsa societatis forma reique communis constituendæ modus.Ea nempe ætate vigebat solummodo paternum regimen. Igitur patris auctoritas publici instituti locum tenet, et, ut in cæteris, ita etiam in re religiosa, toti familiæ præest parens : ipse Dei mysteria filios edocet, ipse sacrificia offert, eaque omnia quæ ad cultum divinum attinent totius familiæ nomine peragit. Hinc fit ut in sacris litteris parens sæpius pastor, doctor vel etiam sacerdos appelletur. Si huic domestico magisterio diuturnam patriarcharum vitam addideris, qua fiebat ut res exordio conditi orbis actæ velut præsentes semper sisterentur, sicque veritates primitus a Deo traditæ difficilius e mente elabi possent, rationem inveneris cur ad Noachum usque homines, ut corrupti extiterint, tamen idololatriæ labe fœdati pene non fuerint.

Brevi post diluvium homines iræ divinæ obliti sunt; et pravis cordis cupiditatibus mente decepta variisque externis adjunctis perturbata, quoniam non erat quo ad veri tramitem revocaretur magisterium publicum ejusque vices gerere non amplius valebat domestica institutio, mox Auctorem suum dereliquerunt atque opera manuum ejus ut Deos colere cœperunt. At creaturæ suæ misertus Dominus, veram religionem e terris emigrare non sivit. Abrahamum ad se vocavit, eumque cœlesti lumine collustravit ut ipsum *novæ et electæ gentis* patrem constitueret. Deinceps ergo vera religio apud Abrahæ posteros est quærenda; et quo tutius in ejus stirpe pura permaneat, Deus ipse jam peculiari ratione rei religiosæ

(1) Seth hebraico idiomate notat *ponere*, hoc est, Abelis loco.

doctor ac præceptor custosque efficitur. Quamobrem ab ea ætate ad scriptam legem usque, ipso divino magisterio sacra dogmata traduntur et conservantur.

Itaque si universam hanc, quam hactenus brevi compendio delineavimus epocham, uno conspectu intueri volumus, ea nobis alta in mente insidebit sententia, inde ab orbe condito ad Moysen usque nequaquam privati cujusvis judicio permissam fuisse religionem, sed auctoritatis via traditam servatamque; et ita quidem ab hac methodo pendere visam esse, ut sicubi imbecillior extitit auctoritas, mox ipsa religio dilabi et in perniciem ruere cœperit. Igitur, ut uno verbo omnia complectar, stante auctoritate, stetit et religio; illa vero deficiente, hæc et similiter vacillare ac labefactari visa est.

Nunc vero ad legis mosaicæ ætatem gradum facimus.

§ 2.

DE RELIGIONIS STATU TEMPORE LEGISLATIONIS MOSAICÆ.

In hoc articulo multo plura quam in superiori dicenda occurrunt, adeoque longiori etiam nobis opus erit oratione, qua universa quæ ad religionis methodum attinent in aperto collocemus, nec ullum ad rem illustrandam præcipue conferens momentum in medio relinquamus.

Primum quidem omnes vident nos hic in ea religionis epocha versari quæ, quod ad formam spectat, Christianæ religionis status imaginem quam simillimam referre videtur. Antea enim nullum erat conscriptum documentum quo sacra dogmata cæterave ad divinum cultum pertinentia continerentur; at nunc lex religionis scripto mandatur; imo ritus, cæremoniæ, præcepta quæque ad quorum normam res religiosa expendenda est litteris Dei jussu exarata exstant. Quemadmodum igitur apud Christianos, ita quoque apud Judæos libri occurrunt divinitus inspirati; unde id consequi mihi videtur, ut, si una cum sacris Scripturis consultum duxerit Deus populo electo institutum quoddam impertiri, penes quod et verus Scripturarum intellectus, et earum quæ oborirentur quæstionum aut controversiarum explicatio solutiove quærenda foret, pari ratione simile itidem institutum apud Christianos reperiri vel *a priori*, ut aiunt, statuere possimus. Quis enim credat Deum id populo christiano recusasse quod judaicæ genti largitus fuerit? Quis sanæ mentis existimaverit Deum id veritati, ut cum prophetis loquar, detrectasse quod ejus umbræ ac figuræ tam magnifice tribuerit?

Vel forte adeone, quæso, immutata est hominis natura, ut ille ipse cui ante perpetuo opus fuerit magisterio quo in recto tramite regeretur, et si quando aberraret, ad viam revocaretur, deinceps suis viribus per-

missus sibi in re religiosa satis superque consulere possit? Credat hæc anilium fabularum sectator, non ego.

Jam ergo quæ apud Judæos fuerit religionis forma ac methodus penitius inspiciamus.

Primum quidem de ipsius Mosaicæ legis indole dicendum arbitror.

Procul dubio cuivis attendenti perspicuum erit legem hanc diversam a novi Testamenti scripturis indolem referre; hæ namque, ut in posterum uberius asserturi sumus, nequaquam eum in finem conditæ fuerunt, ut religionem Evangelicam universam complecterentur, sed ejus tantummodo partes et fragmenta, prout postulabat temporum necessitas, tradunt tuenturve. Verum si libros Mosaicos respexeris, rem prorsus aliter se habere mox videris. Dei enim jussu Moses scripto mandat religionis dogmata ac præcepta, præcipuaque rerum ad divinum cultum spectantium capita ipsi in monte Sina divinitus tradita; exarat ipsas regulas ac leges quibus in universæ vitæ consuetudine Israelitica gens regatur; et eo quidem modo hæc omnia enunciat ac describit, ut citra ullam operam a quoque intelligi et cuique apertissima esse posse videantur. Quocirca cum legum codice, qui omnia expendit et explicatissima qua potest ratione edocet, Mosaicos libros haud immerito quis contulerit. Præterea vero populus jubetur illos diurna nocturnaque manu versare eosque, ut ita dicam, veluti enchiridion quoddam religionis perpetuo præ oculis habere. Igitur si quando tradendæ conservandæque religioni Scripturam sibi soli sufficere potuisse contigerit, id profecto in ea, quam versamus, epocha accidisse fateamur necesse est. Utrum tamen in his etiam adjunctis Scriptura sola extiterit, an una cum ipsa non fuerint traditiones viva voce de ore ad os traductæ; imo vero, quod præcipuum est, an nullius externæ auctoritatis adminiculo suffultæ fuerint tum religio, tum ipsa Scriptura, nunc decernendum habemus.

Ut id ea qua par est perspicuitate agamus, probe animadvertendum primo, minime permisceri posse quæstionem quæ circa *traditiones* versatur cum ea quæ *traditionem vivam* seu auctoritatis externæ institutum spectat; hæc enim inter se multum discrepant.

Quod ut neminem effugiat, et quoniam in hujus tractationis decursu sæpius nobis ex isto, quod innuimus, discrimine argumentandum erit, ideo hic illud paucis declarare consultius ducimus. Itaque, quod ad rem nostram attinet, duplici ratione spectari potest vox ista *traditio* : vel enim notat ipsam rerum divinitus revelatarum continuam ac viva voce præstitam *communicationem;* vel eo vocabulo non amplius communicatio, at *res* communicata intelligitur, atque ita significat ipsas veritates Scripturis non mandatas, sed viva voce conservatas et traditas. Priori sensu accepta, traditio *formalis* et *subjectiva* appellari potest; posteriori vero, *materialis et objectiva;* porro si *objective* spectatur, ubi plura occurrunt

istiusmodi decreta tradita, non jam *traditio* nuncupatur, sed *traditiones* vocantur; contra, si de traditione *subjectiva* sermo sit, quotquot tandem fuerint communicata capita, semper singulari numero traditio (ἡ παράδοσις) dicenda est. Denique traditio hac ratione accepta (ἡ παράδοσις), prout vivo et actuoso organismo prædita cernitur, reapse non differt a magisterio externo ac publico; quamquam respectu paululum diverso duo hæc considerari queant, quod tamen hic ad rem nostram illustrandam adnotare minime est necesse (1).

Igitur in apertis jam versatur discrimen illud quod traditiones inter et traditionem vel etiam magisterium externum intercedit.

Quod si id probe teneatur, in promptu porro erit quam arctissima necessitudine cum magisterio colligari tum Scripturas, tum ipsas traditiones : quæ necessitudo sæpius theologorum oculos effugit. Cujus sane rei causa est quod ipsi theologi catholici, pravis protestantium circa traditiones christianas, eo quem modo declarabamus sensu intellectas, opinionibus et controversiis abducti, omni studio contenderunt traditionum istiusmodi existentiam demonstrare, rati rem penitus confici, si modo illud firmis argumentis statuere potuerint; unde accidit ut plerumque non attenderent totius controversiæ cardinem in eo verti, ut magisterii a Christo Domino instituti existentia aut etiam necessitas factis indubiis ac certis rationibus demonstrarentur. Controversia enim quæ catholicos inter et protestantes agitur ad unam hanc de religionis methodo, seu de medio quo religio conservanda tradendaque est revocatur; reliquæ vero, quæ in medium adducuntur quæstiones omnes, ab hac pendent et ex principiis in ea statutis solvendæ sunt.

Itaque tantum, ut ad rem incœptam redeamus, tamque arctum interest vinculum traditiones inter et externum magisterium, ut hoc sublato illæ quoque intereant necesse sit. Scilicet quemadmodum Scripturæ, ut latius postea sumus comprobaturi, sibi permissæ nec stare nec præsertim intelligi possunt, ita nec traditiones; et idcirco quo gradu quis magisterii necessitatem in Scripturis servandis explanandisve agnoverit, eodem pariter ubi de traditionibus sermo est eamdem fateatur oportet; hæ namque sicut et illa, si nude spectentur, nec loqui nec seipsas tueri queunt; quin etiam nisi auctoritatis sale velut condirentur, multo facilius quam Scriptura errore fœdari ac corrumpi possent.

Primum igitur, ut ratio postulare videtur, de magisterio apud Israelitas constituto disseremus, deinde inquisituri utrum apud ipsos etiam extiterint nec ne traditiones.

Notum est a Moyse, qui primus doctor ac judex controversiarum a

(1) Cf. posterioris partis cap. V, ubi copiosior habetur de traditione et traditionibus oratio.

Deo constitutus fuerat, magisterium publicum fuisse conditum, quo oboriturae tum circa alia, tum præcipue circa legem divinam quæstiones dirimerentur.

Ea hac de re in Deuteronomio (XVII, 8-13) habentur notatu dignissima : « si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram : et judicum intra portas tuas videris verba variari : surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem qui fuerit illo tempore : quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus; sequerisque sententiam eorum; nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel : cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. »

Illud porro institutum ad Christum usque perseveravit nomenque *Synedrii magni* in posterum sortitum est. Quæ autem omni hac interjecta ætate circa ea quæ religionis sunt Synedrii partes fuerint docet Judæorum traditio, testatur et ipsa novi Fœderis sacra Scriptura. Sic (Matth. XXIII, 2-3) Christus istius magisterii auctoritatem agnoscit et commendat, dicens : « *Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi* (1). *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate.* » In quæ Domini verba apposite hæc adnotavit S. Augustinus : « In quibus Dominicis verbis, ait, utrumque debetis advertere, et quantus honor delatus sit doctrinæ Moysi, in cujus cathedra etiam mali sedentes, *bona docere cogebantur* (2). » Et alibi similiter ait : « Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite; dicunt enim et non faciunt. Ideo audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agunt. Sua enim quærere student, sed *sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis ecclesiasticæ, quam sana doctrina constituit.* Propter quod ipse Dominus, priusquam de talibus, quos commemoravi, diceret, præmisit : Super cathedram Moysi sederunt. Illa ergo cathedra, non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua, *dicere autem sua, cathèdra illos non permittebat aliena* (3). » — Liquet igitur ex his Christi verbis, fuisse apud Judæos magisterium externum, cujus munus erat ea quæ ad legem divinam spectabant edicere, cujusque summæ auctoritati subjiciendæ erant quotquot hac in re movebantur quæstiones.

(1) Per scribas et pharisæos Servator intelligit Synedrii magni assessores, qui maximam partem scribis et pharisæis constabant.

(2) *Contra Faustum*, XVI, 20.

(3) *De Doct. Christ*, IV, 27.

Sic quoque Deus per Malachiam prophetam sacerdotum mores et vitæ consuetudinem carpens, ipsis in memoriam revocat gravissimas muneris sibi commissi partes, et ait : « Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est (1). » Sacerdos igitur Dei minister et organon in terris habetur, quippe qui legis sensum populo aperire jubeatur.

Itaque tanquam factum certissimum id nobis jam assumere liceat, instituto publico ad religionem in rebus dubiis interpretandam tuendamque divinitus constituto gentem judaicam donatam fuisse. Istius porro magisterii necessitatem his rationum momentis comprobat Mendelsohnius, vir inter recentiores doctores judæos eruditione ac ingenii acie præcipuus : « Præceptum hoc (de quo nempe agit locus ille Deuteronomii quem modo attulimus) maximi sane est momenti ; lex enim scripto nobis data est : ubi vero intellectus ejus declarandus est, quam facillime inter se discrepare sententias norunt omnes. Crebrius exorirentur controversiæ tum de ipsius textus intellectu, tum de iis quæ inde inferuntur, atque ita non una jam sed plurimæ leges fierent. Lex autem cuivis disceptationi occurrit jubens summi magisterii, coram Domino sedentis in loco quem elegerit, decretis omnes obtemperare (2). »

At vero præter institutum illud publicum ac perpetuum, erat et apud Judæos aliud sacra docendi genus. Ne religio in perniciem rueret populusque ad falsorum numinum cultum deficeret, providerat Deus ut interdum prophetæ accederent, qui, signis divinis comitantibus eorumque verba firmantibus, præcipua legis præcepta in memoriam Israeliticæ gentis revocarent, sicque eam ab idololatriæ lubrico tramite averterent.

Ex his ergo conficitur ante Christum natum apud gentem electam sacras Scripturas, etsi in rebus saltem plurimis perspicuæ essent, nequaquam sibi aut cujusque privati arbitrio fuisse permissas, sed una cum ipsis extitisse tum magisterium externum divinitus institutum, quo earum sensus in dubiis declararetur resque divina universa regeretur, tum etiam quandoque a Deo mitti consuevisse doctores divino spiritu afflatos, qui, utpote peculiari auctoritate præditi, minus recta corrigerent, prohiberentque quominus aliquo pacto lex sacra erroris labe fœdaretur.

At de ipsis traditionibus jam sermo nobis instituendus est. Quamvis autem, ut diximus, traditiones a magisterio discrepant, quoniam tamen sine illo esse aut intelligi non possunt, quumque a plerisque auctoribus non ita arctis suis limitibus definiri consueverunt, ideo in iis quæ mox

(1) *Malach.* II, 7.

(2) Mendelsohn. in c. XVII Deuter. ap. Cl. Drach, *De l'harmonie entre l'Église et la synagogue*, tom. I, p. 137.

afferemus testimoniis, non traditiones tantum, sed etiam auctoritatis seu institutionis viam sæpius commendari animadvertas velim; quoniam vero ea ad traditiones potissimum spectant, ideo ad eas peculiari ratione statuendas illa hoc loco exhibere decrevimus.

Dogma Israeliticum est, inquit Cl. Molitor (1), Moysi in monte Sina una cum lege doctrinam et explicationes magis perspicuas a Deo traditas fuisse circa ea quæ tum ad intelligendam tum ad exsequendam legem attinent.

Primum quod in hanc rem occurrit testimonium a nobis enarrandum ex Flavio Josepho accipimus. Ait ille, Moysen, postquam Judæis legem Dei promulgaverat, deinde eos docuisse quemadmodum universa ejus decreta essent servanda (2). Alibi pariter testatur pharisæos populo tradere solitos esse præcepta quæ in lege scripta non occurrunt, quæ autem *a majoribus continua traditionis serie accepere* (3).

Quod si porro paraphrases chaldaïcas, quæ profecto antiquissimæ sunt, sedulo pervolveris, in iis præsertim sacræ Scripturæ locis quæ de Messia aut etiam de SS. Trinitate aliquid subobscurius innuunt, illas in interpretando sæpius inniti doctrinis apud Judæos ex traditione tantum notis quam citissime perspexeris (4). At ut factum publicum, quod rem penitus conficiat, afferam, nonne ex historia notissimum est pervetustam sane Sadducæorum sectam in eo maxime a reliquis Judæis discrepasse, quod traditiones ut commenta humana rejiceret, Scripturas vero tanquam unicum religionis fontem et regulam habendas teneret? Ab isto autem profecti principio, animæ immortalitatem et vitæ futuræ fidem e symbolo Judæorum expungendas esse censebant, quippe quæ dogmata conceptis verbis in Scripturis enunciata nuspiam occurrant. Et re quidem vera dogmata ista, quamquam hic illic in sacris litteris veteris Testamenti innuuntur, haud ita tamen diserte in eis tradita monstrarentur: constat autem illa inter præcipua religionis capita a reliquis Judæis habita fuisse. Colligitur ergo Sadducæos eadem statuisse circa Scripturas principia quæ recentiori ætate protestantes tueri studuerunt, illosque ideo a veris Israelitis ut hæreseos scelere fœdatos traductos fuisse.

Traditiones quod attinet, sequiori ævo Sadducæorum vestigia premere visi sunt Caraïtæ, qui eam ob causam ut hæretici pariter a reliquis Judæis habentur. Immerito quidem Caraïtæ ab aliquibus auctoribus Sadducæis

(1) *Philosophie der Geschichte, oder über die Tradition*, tom. I, p. 11.

(2) « Καὶ περι των ὁλων ὁν ἄν πραχθειη τρόπον ἐν τοῖς αὖθις απεσημαινε χρονοις » *Antiq.* III, 5, n. 6.

(3) « Εκ πατερων διαδοχης. » *Ibid.* XIII, 10, n. 6.

(4) Quam plurima traditionum judaïcarum documenta, ducta tum ex paraphrasibus chaldaïcis, tum ex scriptis rabbinicis, exhibet Raymund. Martini præclarum opus : *Pugio fidei adversus Mauros et Judæos.*

in universum adnumerantur; illi namque ab his in eo maxime dissident, quod credunt pios post mortem præmia æterna manere, impios vero supplicia, ac demum olim excitatum iri omnium hominum corpora. At quamvis circa hæc dogmata cum cæteris Judæis consentiunt, imo quamvis non omnes traditiones penitus abjiciunt, sicque ex hac quoque parte a Sadducæis aliquo saltem modo discrepare dici possunt, a suis tamen popularibus anathemate percelli consueverunt, quod traditionum vim et auctoritatem minoris faciant. *Caraï*, inquit Elias Levita, doctum et in Scripturis sacris exercitatum virum significat. « Sed id nomen, dicere pergit Richardus Simonius, celebre olim apud Judæos, ex quo quidam traditionum contemptores a cæteris Judæis, isto Caraïtarum nomine, secessionem fecere, infame et exosum omnibus evasit. Novæ hujus sectæ homines se rectius et purius cæteris de religione sapere jactabant; alios scilicet verbum Dei dereliquisse, ut ejus loco temerarias majorum traditiones, quibus totus scatet Talmud, amplecterentur. Judæi vero ipsos Sadducæos dicebant, quippe hac in parte Sadducæorum hæresim instaurantes (1). » Profecto non diffiteor Caraïtas jure et maximo quidem reliquis Israelitis vitio vertisse, ipsos nimia animi levitate sæpius falsas et ridiculas opiniones pro veris traditionibus suscipere, atque ita anilibus fabulis summa injuria sacræ legis decreta fœdare; id enim jam quibusdam suæ ætatis pharisæis Christus Dominus exprobraverat. Hic autem tantum de ipso quo præter Scripturas traditiones admittantur rejicianturve principio sermo est, non de ejus abusu.

Ex Patribus plures etiam occurrunt qui traditiones judaïcas asserant.

Sic S. Hilarius Pictaviensis magisterium publicum, de quo superius verba feci, una cum traditionibus commemorans, ait : « Nam idem Moyses, quamvis veteris Testamenti verba in litteris condidisset, tamen separatim ex occultis legis secretiora mysteria septuaginta Senioribus, qui doctores deinceps manerent, intimaverat. Cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangeliis meminit dicens: *Super cathedram Moysi*, inquit, *sederunt scribæ et pharisæi* (2). »

S. Augustinus, quem modo audiebamus, hæc quoque de Judæorum traditionibus habet : « Nescit autem (adversarius nempe) habere præter Scripturas legitimas et propheticas Judæos quasdam traditiones suas, quas non scriptas habent, sed memoriter tenent, et alter in alterum loquendo transfundit, quas Deuterosin vocant (3). »

S. Epiphanius et S. Hieronymus sæpe etiam traditiones Judæorum commemorant, quas, inquiunt, multo majoris quam par erat faciebant.

(1) *Histoire critique du V. T.* par Richard Simon, liv. 1, ch. 29.

(2) *Tract. in II. Psal.*, ed. Benedict., p. 28.

(3) *Contra Adv.*, t. X, p. 696, ed. Venet., ap. Drach, *De l'harmonie entre l'Église et la synagogue*, tom. I, p. 139.

Sic (*Hær.* XIV) Epiphanius de Dosithæo ait : « Peritissimus erat traditionum, quæ Judæorum Deuteroses sunt (1). » Ex Hieronymo autem discimus tanta auctoritate traditiones apud Judæos viguisse, ut vel hæc una formula, *Sapientes nostri tradidere* (2), omnem controversiam illico componeret.

Nec dicat quis Patres crebro Judæorum traditiones quamplurimas ludibrio habuisse, et idcirco ex ipsorum sententia vim nullam eis inesse. Primum enim respondeo nos non inquirere utrum nec-ne Patribus probatæ fuerint Judæorum traditiones omnes, sed an eorum ævo traditionum auctoritas apud Judæos perstiterit. Deinde vero vehementer falleretur qui illas in universum damnatas a Patribus putaret; alii scilicet eas referendo commendant, ut vidimus; alii modo tantum commemorant, modo nonnullas earum damnant aut rident. Et sane plura inter eas quas tanquam puras majorum traditiones Judæi venditant occurrere meris fabulis adnumerandas quis unquam negaverit? Sed num forte ex istis commentis adversus ipsum traditionum principium quid colligere liceat? Minime vero. Hic nempe, ut in cæteris, tollatur abusus, servetur usus; neque, ut summa inscitia, me saltem judice, interdum accidit, ex rei abusu quidquam contra ipsius rei veritatem firmitatemve inferatur, id namque non nisi tardi ingenii ac sanioris critices regularum nescii esse potest. Quid enim? An, quæso, usum non supponit abusus? Nonne hic illo posterior sit necesse est? Nonne igitur ipsius rei, qua abutitur, firmitatem arguit abusus? Itaque tantum abest ut ex abusu adversus rem quopiam pacto fas sit argumentari, ut contra ex ipso rei in se spectatæ veritas deprehendatur.

Quod si hæc ad eam quam potissimum agimus quæstionem accommodaveris, nihil te, ut opinor, movebunt aniles fabulæ quibus scatent libri Thalmudici; imo vero argumento tibi erunt cur isti quam modo certissimis communivi probationibus sententiæ firmius inhæreas, quandoquidem ejusmodi commenta, quantumvis portentosa fuerint, nullam vim nancisci potuissent, nisi esse veras traditiones gens universa credidisset. Fieri autem nequit ut populus judaicus, inde a remotissima antiquitate, quovis ævo, esse divinas traditiones eisque vim inesse maximam existimaverit, quin hæc sua sententia a fonte divino manaverit.

Cæterum si ea quæ hactenus in hanc rem attuli argumenta non satis superque sufficerent, plurima novi Testamenti loca adducerem, in quibus

(1) Δευτερωσεσι τε ταις παρ' αὐτοις. tom. I, p. 30, ed. Paris. 1622. Cf. *hæres.* XXXIII, p. 224.

(2) Teste Cl. Drach, formula hæc in Thalmude sæpius occurrit, ipsique vis inest cujuspiam disceptationis transigendæ. Hieronymum quod attinet, Cf. *Epist. ad Algas., opp.* tom. I, p. 883, 884, ed. Vallarsii — item tom. III, p. 424, tom. IV, p. 123.

Salvator aut etiam apostoli talia proferunt, atque ita ex nonnullis subobscurioribus veteris Testamenti prophetiis Judæos arguunt, ut nisi fatearis eos inniti traditionibus circa Scripturæ sensum ab omnibus receptis, nihil profecto in ipsorum argumentandi modo intellexeris. At supervacaneum duco plura congerere argumenta theseos firmandæ gratia, quippe quæ factis testatissimis nititur, et idcirco a nemine in dubium vocari potest.

Reliquum est ut nonnullas observationes adjiciam de mutuo nexu qui intererat traditiones inter ac magisterium publicum aut etiam totius populi judaici sensum. Scilicet, ut ante præmonui, traditiones per se consistere atque ab omni externæ auctoritatis magisterio ipsiusque populi intellectu sejungi nullo pacto queunt. Traditio enim, de qua hic verba facimus, nihil aliud est nisi decretum quoddam vel dogmatis scripti non scripta interpretatio, legis promulgatori aut etiam electis a Deo viris primum commissa, quæque ab his suis popularibus viva voce tradita sunt, præsertim vero iis quorum erat res sacras regere ac moderari. Ab initio igitur traditiones in mente populi universi, maxime autem eorum quibus constat publicum magisterium, insident ibique vivunt, atque ita externa specie et visibili forma donatæ, a patribus ad filios una cum domestica vel certe publica institutione transfunduntur. Si hoc ergo ad Scripturæ interpretationem accommodaverimus, fateamur oportet hanc, ex judaicæ religionis principiis, ad doctrinæ synagogæ (quæ tunc temporis vera ecclesia erat) normam esse exigendam; nam traditiones circa Scripturæ sensum cum ipsius synagogæ intellectu unum idemque sunt, et ideo Synagoga quemadmodum Scripturæ, ita et traditionum custos ac interpres habetur.

Judæos autem quod attinet, hic jam gradum sistere fas erit; fere enim universa quæ ad rem incœptam illustrandam aliquid lucis conferre possunt, celeriori licet pede, perlustravimus. Quod si hactenus dicta ad ordinem methodicum revocare volueris, hoc pene modo varia quæ veræ religionis conservandæ causa divinitus instituta fuerant inter se colligari deprehendes.

Primum quidem traditiones, quæ vel circa dogmata quædam peculiaria non scripta vel circa eorum quæ in ipsa lege scripta sunt germanum sensum versantur, in intimo totius synagogæ animo vigent, sicque singuli ejus filii instituti sacras Scripturas legunt; neque enim mente ab omni judaicorum dogmatum rituumve notitia aliena sacras litteras adeunt, sed animo jam veritatibus religionis imbuto : parentes namque legem legisque sensum filios docere jubentur. Si vero circa legis intellectum aut alia religionis capita quæ in lege scripta non occurrunt, viva autem voce custodiuntur, dubia quædam moveri contigerit, tunc ad publicum magisterium res referenda et ab ipso quæstio dirimenda

est; *labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus : quia angelus Domini exercituum est* (1). » Et porro interdum prophetæ a Deo mittuntur qui futuri adventus Christi dogma prænunciando illustrandoque confirment, simulque populum ad idololatriam procliviorem ad veri tramitem revocent. Atque hæc, ni fallor, fuit veræ a Moyse ad Christum religionis ratio ac œconomia.

§ 4.

DE RELIGIONE APUD ETHNICAS GENTES.

Si populi electi limites prætergressus, in reliquas gentes oculos conjeceris, quam miserrima religionis fata, idque ex mediorum divinitus institutorum inopia contigisse cito videris.

Principio quidem, imo et continuo post diluvium generi humano religio vera ac pura inerat; sed brevi factum est ut, sui conditoris obliti, homines ad falsorum numinum cultum deflecterent; et nisi misericordia motus virum, quem populi electi patrem constitueret, e tenebris ad lucem evocasset Deus, veritas terram jam jam relictura videbatur. Operæ pretium non est errorum in quos inciderunt gentes catalogum texere; norunt omnes ubique terrarum ne ipsius quidem religionis naturalis dogmata pura ac integra perstitisse, at truncata fabularumque admixtione fœdata in omnium populorum traditionibus occurrere.

Unum tantummodo monendum censeo, scilicet de discrimine quod interest inter gentium et Judæorum sacra instituta. Præter sacras Scripturas vidimus apud Judæos traditiones ac præsertim magisterium divinitus institutum extitisse; apud reliquas vero gentes nihil fere horum conspicitur. Procul dubio omni ætate ubique gentium viguit paterna, quamlibet manca fuerit, institutio ac disciplina; imo apud plurimos populos sacerdotum collegium cernebatur, qui traditiones primitus acceptas custodirent ac tuerentur, quas vero sæpius corrumpebant et adulterabant. Ipsis enim deerat peculiare illud auxilium divinum quo fruebantur Israelitica instituta; nuspiam namque gentium, uti notum est, occurrit magisterium quoddam divina auctoritate præditum, quo res sacræ regerentur ac puræ illibatæque conservarentur.

Quam ob causam ea quæ religionis erant brevi tempore adulterata ac pessumdata fuere. Itaque quemadmodum apud Judæos vi publici magisterii divina auctoritate præditi vera religio perseveravit ac floruit, ita illius inopia eam apud reliquas gentes interiisse cernimus. Quod si quis id forsitan ex sacrarum Scripturarum absentia contigisse existi-

(1) *Malach.* 11, 7.

maret, assentionem cohibeat velim, donec recentioris ævi historiam enarraverim.

Atque hæc de gentibus idololatris pro instituto nostro dixisse sufficiat. Nunc de Christo Domino, omnium hominum capite ac centro, sermo habendus.

CAPUT II.

CHRISTI ADVENTUS AC REVELATIO.

Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (1). Adest plenitudo temporis; adest ille quem prophetæ prænuntiavere, quem universa judaici populi instituta portendere, quem totus terrarum orbis præsentiebat efflagitabatque, *lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis suæ Israel.*

Hactenus Deus patribus locutus fuerat in prophetis, nunc autem in Filio homines docere non recusat. Hactenus universa fere infirma et egena elementa, nihil omnibus numeris perfectum ac absolutum; deinceps vero, ipsa veritate increata carnem induente terrasque inhabitante, omnia ad summum perfectionis fastigium provehenda, et quæ superiori ætate adumbrata, ac, sic providente Deo, rudi tantummodo minerva conformata extiterant, posthac a Christo Domino perficienda atque absolvenda sunt.

Quum igitur vidimus quæ antea fuerit veræ religionis conditio, quibusque opibus apud electam gentem integra illibataque perstiterit, pergamus jam considerare quam viam, ut omnia ad perfectionem adduceret, Verbum caro factum inire statuerit, quamve methodum in religione tradenda sectatus fuerit, quamque a suis discipulis in eadem tum cum cæteris hominibus communicanda, tum in posterum conservanda, tenendam voluerit.

Quod ut apertius et plenius præstemus, Christum ipsum cum suis apostolis prædicantem adeamus, eisque nos aliquandiu comites jungamus, ut ex ipsorum tum verbis tum operibus, quæ tandem sit Christiana methodus, an et qui externo magisterio Scripturæve locus, discere possimus. Procul dubio enim Christum operis a se conditi indolem ac necessarias conditiones penitus novisse omnes fateantur necesse est; neque vero quispiam Christianæ fidei inhærens unquam dixerit apostolos magistri animum ac propositum non fuisse assecutos, et idcirco

(1) *Joan.* I, 14.

a via quam tenendam duxerat descivisse; hæc enim, ut impia blasphemaque, ita et vesanæ mentis absona sunt commenta.

§ 1.

De ratione qua Christus et apostoli religionem tradiderunt definiveruntque.

« *Et Verbum caro factum est*.... PLENUM GRATIÆ ET VERITATIS (1). »

Mundum universum instauraturus, Patris æterni æternus Filius humanam naturam induit et inter homines externa et aspectabili forma conversatur. Ut opus sibi a Patre præstitutum perficiat, ægroti hominis animi facultatibus remedium afferat necesse est; intellectus namque a veri lumine longius remotus cibi inopia dudum laboraverat, et præ inedia languescens deficiebat; voluntas autem imbecillis ac infirma in bono sectando non satis virium habebat. Quamobrem felix optimusque humani generis instaurator Christus intellectui quidem veritatem, voluntati vero pleniorem affert gratiam.

Ipse porro, hora sibi a Patre constituta, ministerium suum exorditur. Os suum aperiens, Judææ incolas altiora regni cœlestis mysteria docere incipit, at subobscure tamen et in parabolis sæpius ad eos loquitur. Interea vero temporis nonnullos a reliqua plebe viros secernit, quos peculiari cura edocturus operis sui vicarios instituat, eos, ut vis ipsius *apostoli* vocis prodit, *missurus* ad populos universos quibus e cœlis allata dogmata prædicent, ipsique divinæ gratiæ organa uberrima efficiantur. At indocti et admodum rudes Apostoli, principio quidem nihil fere horum quæ Dominus Jesus loquebatur assequi poterant: e terra nempe orti terrena tantum sapere videbantur. Hanc eorum mentis cæcitatem ipsis quandoque exprobrat magister; benigno tamen animo eos ferre dignatur, cognovit enim figmentum nostrum. Cæterum nondum peracto stupendo illo summoque amore colendo crucis sacrificio, in quo universa prædicatio evangelica vertitur, necdum immutandi hominum generis tempus aderat. Sed e mortuis ad vitam redux, Christus Apostolos tanquam suos præcones ac vicarios instituit, atque, ut ipsius doctrinam puram illibatamque in perpetuum tradant et servent, promittit se ipsis, iisque qui in posterum eodem munere donandi erunt, omni temporis momento adfuturum : « Ite, inquit, prædicate evangelium omni creaturæ — atque, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti : docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi (2). »

(1) *Joan*. I, 14
(2) *Matth*. XXVIII, 19, 20.

Porro alium paracletum pollicetur qui mentem illorum illustret eosque omnem veritatem doceat, atque ita idoneos religionis præcones efficiat. Postquam ergo cœlos conscenderat, Spiritum Sanctum misit, Apostolos ea omnia quæ ad ipsorum munus attinebant uberius edocturum; tuncque temporis tantum cœpit apostolica prædicatio. Inspiciamus igitur quam in hoc munere fungendo viam iniverint: num a conscribenda doctrina, ut ad veram fidem populi adducerentur et in ea tuti ab externo magisterio immunes permanerent, exordium duxerint; aut saltem num in posterum universa, eademque verbis perspicuis enuntiata, Christianæ religionis capita scripto prodere curaverint; an contra primò viva voce evangelium prædicaverint, doctores quoque ac magistros qui suî vices gererent instituerint, postea autem tantum, prout ferebat occasio postulabatve necessitas, quædam doctrinæ capita litteris mandaverint, reliqua vel omittentes vel certe obiter solum uno alterove vocabulo attingentes.

Primum quidem certissime constat nequaquam a decretis christianæ fidei conscribendis initium duxisse Apostolos; libri enim novi Testamenti, quotquot exstant, fatentibus quibusque peritis, serius exarati fuere, postquam magno jam numero homines Christo nomen dederant. Liquet ergo prædicationem et institutionem viva voce factam Scripturæ præivisse, adeoque hanc illa nixam et velut sustentatam fuisse. Id confitentur nobiscum plurimi iidemque eruditione insignes theologi protestantes, inter quos eminent Hugo Grotius (1) et Griesbach (2); ex recentioribus autem Lessing (3), Semler (4), Münscher (5), alii. Et vero qui illud in dubium vocaret, haud sane intelligo cur non idem, sol sit an nullus sit dubitare posset; minime enim est hoc illo evidentius. In rebus autem tam apertis non amplius immorari libet.

Apostoli igitur primum Domini doctrinam viva voce Judæis ac gentibus tradidere. Neque enim dixerat Christus : Ite, scripto excipite ea quæ vobiscum communicavi dogmata, et illa sic litteris exarata hominibus tradite; sed: *Ite*, inquiebat, *prædicate evangelium omni creaturæ*. Magistri præceptum probe intellexerant discipuli (6).

(1) *Ep.* 582 in collect., 1764.

(2) *Curæ in Historiam textûs græci.*

(3) *Theolog. Nachlass*, p. 47 sqq.

(4) *Hirsching's historisches Handbuch*, tom. XXII, p. 293.

(5) *Handbuch der Religion*, tom. I, p. 344. Cf. *Lehrbuch der christlichen dogmengeschichte*, p. 12, 15.

(6) Illud autem non ita intelligere videntur protestantes illi, qui his diebus existimant per sacra Biblia populos esse ad Christi fidem adducendos. Peccant in Christi institutum; peccant in Apostolorum agendi rationem. At eos natura ipsa reique eventus refellunt, quum hactenus neminem ab errore ad veritatem hac via revocaverint.

Sed opus apostolicum cominus inspiciamus. Non omnes quidem homines sacram, quam annuntiant, doctrinam suscipiunt; erat enim Judæis scandalum, gentibus autem stultitia. Qui vero in Christum credunt, in Apostolorum consortium adsciscuntur et una cum eis communitatem efficiunt, cujus membra singula inter se arctissimis vinculis ejusdem fidei et charitatis colligantur : « *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus* (1).

Plurimas brevi tempore in variis regionibus Apostoli condunt istiusmodi communitates, et omnibus fidelibus præsunt. Summa observantia Apostolorum jussis obediunt omnes, quippe qui tanquam divina auctoritate muniti habentur.

Si vero contingat nonnullos moribus doctrinave a sacræ prædicationis decretis aberrare atque istiusmodi vitæ consuetudini pervicaciter inhærere, mox eos ut putrida membra à corpore Christi resecant Apostoli, memores istius dicti Dominici : *Qui vos spernit me spernit...* Et : *qui Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (2).

Igitur religionis ratio ac methodus ætate illa apostolica his, ni fallor, momentis omnino constabat : Fideles varias efficiunt communitates inter se nexas ac colligatas, quæ Apostolorum imperio subjiciuntur, et ita quidem ut doctrinæ primitus ab ipsis traditæ quidpiam addere aut de illa detrahere nefas habeatur; qui vero id agere ausi fuerint mox anathemate percutiantur : quod si qua tandem moveatur difficilior controversia, concilium cogitur Apostolorum, quo quæstio ea qua pollent divina auctoritate definiatur et penitus decernatur. Imo in universo tum Domini tum Apostolorum vitæ instituto, peculiari præ cæteris auctoritate donatus Petrus exhibetur. En ergo forma quam tunc temporis Christianismus induerat, quamque ipsi ejus conditor indiderat. Quis autem dixerit fore ut ipse eadem illa forma aliquando exuatur ut oppositam prorsus induat? Id asserant rationalistæ, minime vero christianus aliquis.

Apostoli nempe, quoniam in perpetuum permansura sit Christi religio, in variis quas peragrabant regionibus viros quosdam electos ac probatos instituebant qui tum in docendo, tum in divinas gratias impertiendo, suî ipsorum vices gererent, quique et alios itidem pari auctoritate præditos constituere possent, prout postularet necessitas. Quæ hic effero manifesta sunt tum ex ipsorum Apostolorum epistolis et historia, tum, ut mox videbimus, ex iis quæ apud eorum discipulos deprehendimus.

Si quis porro hactenus enarrata sedulo perpenderit, procul dubio dicat necesse est, et citra Scripturas institutam fuisse Ecclesiam, et sine illis permanere potuisse, imo aliquandiu reapse perstitisse, et

(1) *Act.* II, 42.

(2) Sic Paulus I Timoth. I, 20, de hæreticis ait : *ex quibus est Hymenæus et Alexander : quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.*

idcirco in posterum quoque stare posse; quod enim, providente Deo, initio factum est, cur non idem postea fieri posset? Et quidem Scripturas nequaquam ad religionem tuendam esse necessarias ex ipsius D. Irenæi ore mox sumus audituri. Quamobrem id nobis jam dicere fas sit, in Christianismi instituto sacras Scripturas, stricte loquendo, non nisi tanquam aliquid adjuncti et adventitii habendas esse, quum citra illas et constitui et perseverare potuerit Christi religio. Hæc vero sententia ex iis que de ipsis novi Testamenti libris nunc sumus disputaturi firmior et illustratior existet.

Quid, quæso, in epistolis evangeliisve conscribendis propositi habuere Apostoli aut Christi discipuli? Num forte sibi præstituerint universam Christi doctrinam litteris mandare, et ea quidem ratione ut ab omnibus deinceps christianam fidem amplexuris nullo pene negotio sine magistro intelligi et percipi posset? Num eorum scripta ita sunt condita, ut per se ipsa sibi sufficere et idcirco a doctrina viva voce prius tradita sejungi queant? Id enim dubio procul necesse esse fateri debent ii qui velint Scripturas nequaquam ut aliquid adventitii et ipsi, quæ jam erat, rei christianæ adjuncti haberi posse. Hæc autem quæstio non longa, ut opinor, eget oratione. Solvetur dummodo, una cum occasione qua editæ fuerunt Scripturæ, argumentum quod in universum versant paucis verbis declaravero.

Porro interdum accidit ut ipsi scriptores sacri occasionem causamve cur ad scribendum moti fuerint aperiant; sæpius autem id ex ipsius libri argumento et ratione petendum est; quod quidem, quatenus saltem illud, ob eam quam agimus quæstionem, nostra interest, haud difficulter perspicitur. Et vero, ubi primum in D. Pauli cæterorumque Apostolorum epistolas oculos conjeceris, cito videris ipsis minime propositum fuisse universa christianæ veritatis capita pandere. Quid enim? Ad eos sane litteras dirigunt qui jam ante evangelica dogmata susceperant, quosque ipsi prius viva voce ea edocuerant; norunt ergo illi sacram Domini fidem. Ad quid igitur Apostolorum scripta? Scilicet vel unum alterumve apostolicæ prædicationis caput ab aliquibus minus recte fuerat intellectum, vel vesanæ et corruptæ mentis homines in hanc alteramve fidelium communitatem falsa dogmata diffundere moliebantur, vel etiam episcopis quos instituerant Apostoli quibusdam monitis et consiliis opus erat, aut certe alia quædam id genus causa aderat. Quoniam vero fieri nequaquam poterat ut ubicumque forte res postulasset Apostoli adessent, ideo litteras dirigebant ad ea loca ad eosque viros quibus opus esse videbatur.

Quæ quum ita sint, nullo molimine finem Apostolorum assequi ac declarare sane possumus; quo perspecto apparet etiam utrum universam, an vero partem tantum doctrinæ christianæ scripto mandare studuerint. Quoniam ob causas peculiares et singularem scopum scribunt, decreta præceptave quædam singularia, pro temporis necessitate enuntiata, in

eorum epistolis tantummodo fas est quærere : universa religionis capita ex scriptis istis velle repetere, summæ dementiæ est.

Age vero, num, quæso, ea saltem fidei capita quæ in his sacris litteris sane occurrunt, ita perspicue tradita dixeris ut cuique per se pateant? Ad quos illæ directæ fuerint paulisper, velim, attendas, et simul quæ de illarum occasione ac scopo modo aiebam in memoriam revoces. Ad christianos nempe homines mittuntur, adeoque de dogmatibus procul dubio in illis egerint Apostoli quemadmodum et tu ageres si de quibusdam doctrinæ capitibus cum iis qui prius religionem didicissent sermonem haberes. Profecto non omnia ad apicem expenderes; sed vel eorum errorem, si quem hic illic offenderes, corrigeres perspicuis quidem verbis et argumentis, quæ tamen sæpe decretis ante traditis inniterentur, ita ut illa sine his vix aut ne vix quidem recte percipi possent. Imo, atque id libentissime concedo, etsi singulare aliquod fidei caput tueri aut explicare solum voluisses, facile contingeret ut plurima alia obiter hoc illove vocabulo attingeres; at qui, quæso, obscuriora illa perspicere possent præter eos qui jam ante novissent? Qua ergo ratione in istiusmodi adjunctis agerent sane omnes, eadem procul dubio scripserunt Apostoli. Quamobrem ut apostolica scripta intelligas, christiana dogmata ante perspecta habeas necesse est; sin minus, jam non in eo, quem postulant, mentis statu versaris, et idcirco quam plurima in illis obscura atque incerta tibi videbuntur.

Cæterum Apostoli ipsi crebro ea quæ prius coram tradidere commemorant, monentque ut illis firme in perpetuum adhæreant fideles. Sic, ut exemplum afferam, ad Thessalonicenses scribens Paulus ait : « De cætero ergo, fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu, ut *quemadmodum accepistis a nobis*, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis ut abundetis magis. *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum* (1). » Itemque in posteriori ad eosdem directa epistola hæc habet Paulus : « Itaque, fratres, state : et *tenete traditiones*, *quas didicistis*, *sive per sermonem*, sive per epistolam nostram (2). »

Liquet igitur tum ex ipsa rei natura, tum ex Apostolorum dictis et agendi ratione, scripta hæc doctrinæ ante traditæ inniti.

At, dicat quis, universam Christi doctrinam eamdemque claram et perspicuam in evangeliis saltem occurrere agnoscendum videtur. An ergo ita se res habeat, breviter expendere studeamus.

Primum quidem id quod sacra evangelia perlegenti in oculos mox incurrit illud est, potissimum historicum, minus vero dogmaticum fuisse

(1) I *Thessal.*, IV, 1, 2.

(2) II *Thessal.*, II, 14. Cf. I *Tim.* I, 3; II *Tim.* I, 13; I *Cor.* I, II, et XI, 23; XV, 3; *Tit.* III, 8.

auctorum scopum; ipsis scilicet propositum videtur, quibusdam christianis efflagitantibus, mirandam Domini vitam aut certe aliquot facta præcipua referre, quæ vel ipsi suis oculis viderant, vel ab Apostolis acceperant; nequaquam autem animus est veritatum ac præceptorum quæ Christus tradiderat catalogum eumdemque numeris omnibus absolutum texere. Et vero, si forte S. Joannem exceperis, reliqui evangelistæ in factis perpetuo hærent; adeoque si quando nonnulla doctrinæ capita eos pandere contingat, illud obiter tantum et velut inscii sæpius agunt, quod nempe id ad scopum sibi præstitutum minus spectaret. Quod porro ad Joannem attinet, scopus quidem ejus in primis dogmaticus aut etiam polemicus est; verum arctissimis limitibus continetur, quippe qui in divinitate Domini Jesu declaranda ac probanda tantummodo versari videtur : « Hæc autem, inquit ipse, scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei (1). » Atque hunc potissimum fuisse S. Joannis scopum testantur etiam S. Irenæus, Clemens Alex., Origenes, Eusebius, Hieronymus.

Quod spectat ad perspicuitatem doctrinæ ab evangelistis traditæ, idem fere hic animadvertendum quod superius dictum est, ubi de epistolis sermo habebatur; christianis enim, non vero idololatris aut Judæis in Christum non credentibus erant conscripta evangelia.

His porro ita constitutis, conficitur plane id quod prius aiebam, Scripturas in christianæ religionis instituto ut adventitii quid esse habendas, quippe quæ, firmata jam religione seu Ecclesia, conditæ sint ac doctrinæ ante traditæ innitantur.

At quoniam protestantes, quos hic potissimum respicio, asseverare non dubitant universa fidei capita eaque perspicua in novi Testamenti libris occurrere, unam hanc animadversionem mihi adjicere liceat. Ut illud eorum dogma firmo fundamento nitatur, ex his duobus alterutrum statuatur oportet : vel scriptores sacros verbis haud ambiguis declarasse sibi fuisse propositum omnium dogmatum præceptorumque Christi Domini catalogum absolutum et quavis ætate cuilibet homini perspicuum texere, — vel habeant necesse est universæ fidei christianæ normam quamdam mensuramve indubitatam ad quam sacras Scripturas exigant, ut sic tandem perspiciatur num omnia eaque clara in illis occurrant. Atqui prius sane, ut ex superius allatis liquet, difficulter fieri posset; posterius vero ipsius protestantismi principium tollit atque penes catholicam Ecclesiam tantum occurrit : hæc autem tenet Scripturas non sibi per se sufficere.

Quapropter manifesta et aperta mittimus, ut ad ea quæ adhuc in medio posita sunt aggrediamur. Quoniam nempe hactenus vidimus quam formam, ipso teste, testibus et Apostolis, Christus Dominus religioni

(1) *Joan.* XX, 31.

indiderit; quoniam intelleximus Jesum et Apostolos nequaquam fundamenti loco Scripturas posuisse, neque privati examinis ac judicii, sed institutionis et auctoritatis viam perpetuo commendasse et sectatos fuisse, restat ut pergamus considerare quemadmodum christianismus in posterum se ipsum intellexerit. Quo quidem pacto cuique facillimum erit judicatu rectene an secus Christi Apostolorumque viam ac institutum fuerimus assecuti; procul dubio enim nemo dixerit christianos mox, Apostolis e vivis sublatis, a ratione et methodo ab ipsis accepta descivisse, ita quidem ut christianæ religionis indoles ac natura illis plane fuerit ignota.

CAPUT III.

DE SS. PATRIBUS. — NOTIONES PRÆVIÆ. — PATRES APOSTOLICI.

Quoniam non emortuum et cadaveris instar immotum quid, sed vivum atque vi perpetuo actuosa præditum institutum est sacra Christi religio, ideo fieri non potuit quin plurima eademque gravia suî per ætates itineris argumenta relinqueret. Hæc porro transitus vestigia in universa religionis historia, in universis institutis, moribus ac vitæ consuetudine offendamus necesse est; quod enim animo tenent homines, id sexcentis modis, pro adjunctorum opportunitate, exterius prodere consueverunt. Itaque non modo a Patrum scriptis, verum etiam ab iis omnibus quæ inter christianos fieri solebant, argumenta petere possemus quibus thesis nostra firmaretur, quandoquidem non scripto tantum, sed et pluribus aliis actibus externis mens interna manifesta existit. At ne longius quam par sit abducamur, ideo in doctrina Patrum exponenda maxime versabimur. Quo magis tamen liqueat quemadmodum ab universa antiquitate intellecta fuerit christianismi indoles, pauca, traditis Patrum hac de re principiis, de ratione qua auctoritatis via in conciliis illa ætate habitis patefiebat adjiciam.

Priusquam vero christianæ religionis methodume SS. Patrum ore excipiamus, operæ pretium erit, ut opinor, quædam hic circa illorum scripta, horumque usum in antecessum monere.

Primum quidem apud Patres, ut apud reliquos scriptores omnes qui de quolibet instituto positivo disseruerunt, tria occurrere solent momenta probe discernenda. Vel enim illi testantur institutum hoc reapse exstare; vel argumenta afferunt quibus aut ejus existentia aut etiam necessitas comprobetur; vel denique theorias condunt, quarum ope mens illud magis intelligere ac mutuum nexum quo singulæ ejus partes inter se

colligantur facilius perspicere queat. Liquet profecto ex his omnibus a nobis duci posse probationem qua statuamus Patres credidisse institutum istud re vera exstare; alioquin, quorsum, quæso, argumenta et theoriæ? Sed æque manifestum est nos nequaquam necesse habere ad firmandam thesim nostram argumenta et theorias Patrum persequi aut etiam probare, quippe quæ doctorum sint, non testium. Quoniam tamen non tantum protestantes refellere studemus, sed etiam theologiæ vere christianæ regulas et quasi organismum tradere instituimus, ideo sæpius Patrum argumenta theoriasve paucis verbis sumus expositurí; hæc enim plurimas theologo afferunt utilitates.

Ut autem vis et indoles argumentorum quæ apud Patres occurrunt rite internoscantur, animadvertendum est illa multiplicis generis esse, et quidem in tres fere classes tribui posse : vel enim *positiva*, eademque aut *directa* aut *indirecta* sunt, vel tandem *philosophica*. Directa dico ea quæ per se monstrant Ecclesiæ auctoritatem re ipsa exstare — indirecta quæ idem sane, at velut ex obliquo nec per se, statuere contendunt, ut v. g. ea quæ ex sacræ Scripturæ obscuritate ducuntur — philosophica voco ea quæ vel ex ipsius religionis indole, vel ex humanæ mentis legibus ac necessitatibus eruuntur; ita tamen ut illa theologico-philosophica, hæc autem mere philosophica rectius dixeris.

Neque hoc omittendum censeo, in æstimandis Patrum testimoniis argumentisve probe esse discernenda ea in quibus versabantur adjuncta. Etenim explicatius ac magis dedita opera illi procul dubio Ecclesiæ auctoritatem commendaverint quibus res fuerit adversus hæreticos qui in Scripturis perperam intellectis *præsidium erroris collocaverint;* imo vero interdum accidit ut Patres isti tantopere Ecclesiæ auctoritatem extollant, ut simul Scripturæ vim velut elevare videantur, quod tamen procul ab eorum mente abest. Alii autem, uti Patres apostolici, de Scripturis fere non loquuntur, quod ea ætate libri novi Testamenti nondum in omnium manibus essent, et idcirco etiam eorum sensum hæretici non adulterarent. Attamen quum fieri nequeat ut homo non subinde exterius prodat id quod mente gerit, quumque denique una eademque hæreseos indoles in eo sita sit ut, legitima auctoritate contempta, quisque sibi dogmata pro libito fingat, ideo apud Patres omnes hujusmodi occurrunt principia quibus methodus vere christiana optime definiatur.

Porro in hujus de Patribus tractationis limine unum adhuc monendum habeo. Sane fieri nequit ut de universis Patribus verba faciam, id enim et longum et inutile foret; nam ubi, circa graviores præsertim et majoris momenti regulas, quorumdam testimonia audisti, eorum, inquam, qui maxima pollebant apud christianos auctoritate, jam omnium nosti sententiam. Ne autem fingant protestantes me aliquorum nomina tacere, quod forte catholicis adversarentur, de iis quos in suæ causæ patrocinium advocare solent, potius dicturus sum. Quod ad ipsos apostolicos Patres

attinet de quibus sermo est habendus, occurrunt S. Clemens Romanus, S. Ignatius et S. Polycarpus; de ea vero quæ sub S. Barnabæ nomine circumfertur epistola deque Hermæ Pastore, quoniam minus ad susceptum institutum spectant, nihil dicendum arbitror.

§ 1.

S. CLEMENS ROMANUS.

S. Clementis quatuor quidem epistolæ ad nos pervenerunt, quarum duæ ad Virgines, aliæ vero ad Corinthios directæ sunt. At quoniam prior tantum ad Corinthios epistola extra omnem controversiam versatur, ideo ex hac una Clementis circa christianæ religionis indolem ac methodum principia haurienda ducimus.

Ut autem facilius rectiusque percipiatur ea quam exhibet doctrina, videndum prius quis istius epistolæ scopus, quæ occasio fuerit. Sciendum igitur tunc temporis Corinthiorum ecclesiam schismate fuisse perturbatam, quod nonnulli homines, jugi impatientes, eos qui auctoritate rite accepta præstabant de loco dejicere et ipsi sibi non debitum imperium arrogare molirentur. Qua re permoti, probi et inter Corinthios optimi viri legatos ad B. Petri successorem Clementem miserunt, qui luctuosum ecclesiæ statum ipsi depingerent, rogarentque ut quamprimum schisma extinguere contenderet. Precibus annuit Clemens, et eam quam nunc versamus epistolam ad Corinthiorum scripsit ecclesiam.

His porro ita constitutis manifestum jam est hunc fuisse auctoris animum, ut varia afferret argumenta quibus Corinthios adduceret ad mutuam pacem et ecclesiæ unitatem fovendam servandamque; quod quidem brevi nobis uberius constabit.

Plurimas sane easque gravissimas auctor affert rationes, tum ex eorum præteritis moribus ac felicitate, tum ex ipsius religionis indole ac scopo ductas, quibus Corinthiorum ecclesiæ membra moveat ad schisma depellendum; hæc autem ceu minus ad rem nostram spectantia mittimus, ut statim ea quæ circa magisterium et pastorum auctoritatem tradit inspiciamus. Illud vero argumentum c. 37-45 potissimum versat Clemens; adeoque in istis paulisper immoremur oportet.

Quocirca ut obedientiæ ac subjectionis necessitatem fidelibus commendet, exorditur (c. 37) argumentum ducendo a subjectione quæ in exercitu militum cernitur, ubi quisque ducis sui mandata peragit; item a miro illo ordine qui in humano corpore conspicitur, in quo nempe non quodlibet membrum caput est, sed quodque locum suum tenet et cum reliquis arctissimo vinculo nexum colligatumque permanet : « Servetur itaque, concludit auctor, corpus nostrum in Christo Jesu, et unusquisque proximo suo subjiciatur juxta ordinem in quo per gratiam ejus positus

est (1). » Igitur ex Clementis sententia nequaquam omnes pares sunt in Christi ecclesia, sed alii aliis subjiciuntur; atque ita tandem constat ea fidelium unitas, quam ex Apostolo corpus appellat.

Quo vero firmius statuat subjectionis necessitatem, mentemque Corinthiorum ab auctoritatis divinitus institutæ contemptu longius avocet, in memoriam eorum revocat hominis sibi sufficere non valentis imbecillitatem, pariterque commemorat pœnas quibus afficere consuevit Deus eos qui ordinem a se constitutum aspernantur ac deturbant. Et porro ita loqui pergit S. Pater: « Cum igitur hæc nobis sint manifesta, etiam in profunda divinæ cognitionis introspicientes, debemus omnia rite et ordine facere quæ Dominus peragere nos jussit, præstitutis etiam temporibus oblationes et officia sacra perficere : neque temere vel inordinate voluit ista fieri, sed statutis temporibus et horis, ubi etiam *et a quibus peragi vult, ipse excelsissima sua voluntate definivit... Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius assignatus est, et levitis sua ministeria incumbunt. Laicus præceptis laicis constringitur* (2). » — Vides quemadmodum docet sanctus Apostolorum discipulus auctoritatem hanc quam in sacra hierarchia cernimus, cuique in omnibus parere debent Christi fideles, a divino mandato ortum trahere. Ut enim in antiquo fœdere, quod quidem crebro ait Clemens, Deus sacerdotium magisteriumve instituerat cui omnes circa ea quæ religionis erant obedirent, cujusque partes præoccupare nemini fas esse poterat (3); sic et in evangelica lege providit Dominus ut episcopi et presbyteri constituerentur, penes quos esset rem religiosam universam regere et reliquum populum christianum gubernare ac moderari.

Præclare vero rationem affert cur doctrina ab episcopis tradita ceu vera Christi doctrina habenda sit, et cur ipsis sit in omnibus obtemperandum : vices nempe Apostolorum gerunt, qui et ipsi Domini Jesu, hic autem Dei Patris; neque enim suam, sed ab Apostolis acceptam tradunt episcopi doctrinam; nec vero propriam tradidere Apostoli, sed Christi, qui et ipse aiebat : *mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris.* Perspicis sane quam præclara sit hæc Clementis argumentatio; at æque fatearis necesse est quantopere ea protestantium regulæ de privato examine refragetur. Ipsa auctoris verba audiamus : « Apostoli nobis a Christo evangelizaverunt, Jesus Christus a Deo. Missus enim est Christus a Deo, et Apostoli a Christo; et factum est utrumque decenter ex

(1) C. 38 « σωζεσθω ουν ἡμων ολον το σωμα ἐν Χριστω Ἰησου, και ὑποτασσεσθω εκαστος τῳ πλησιον αὐτου, καθως και ἐτεθη ἐν τῳ χαρισματι αὐτου. »

(2) « Τῳ γαρ ἀρχιερει ἰδιαι λειτουργιαι διδομεναι εἰσιν, και τοις ἱερευσιν ἰδιος ὁ τοπος προστετακται, και λευΐταις ἰδιαι διακονιαι ἐπικεινται· ὁ λαϊκος ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προσταγμασιν δεδεται. » C. 40.

(3) C. 41.

voluntate ejus. Mandata quippe accipientes, et per resurrectionem Domini nostri Jesu Christi plena certitudine imbuti, Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt, annunciantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum prædicantes, primitias eorum, spiritu probantes, episcopos et diaconos eorum qui credituri erant, constituerunt (1). »

Deinde cap. 43 enarrato modo quo Moyses, inspirante Deo, Aaronem summum sacerdotem instituit, ita pergit cap. 44 : « Et Apostoli nostri per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt, contentionem de nomine episcopatus oborituram : atque ob hanc causam perfecta præscientia præditi, constituerunt prædictos, ac deinceps ordinationem dederunt, ut in defunctorum locum alii viri probati succedere, et illorum munia exequi possent. Constitutos itaque ab illis, vel deinceps ab aliis viris celebribus, cum consensu universæ ecclesiæ, quique inculpate ovili Christi deservierunt cum humilitate, quiete, et absque omni sorde et turpitudine, et longo tempore ab omnibus testimonium præclarum reportarunt (2), hos non sine injuria munere vel officio suo exui existimamus. Non enim leviter peccabimus, si eos, qui sancte et sine reprehensione offerunt munera, episcopatu ejicimus (3). »

At gradum jam sistere liceat : hæc enim quæ hactenus ex Clemente excitavimus loca satis superque exhibent eam quam de religionis ratione ac methodo tum ipse tum reliqui certe christiani tunc temporis tenebant doctrinam. Quod si nunc uno conspectu principia quæ modo audiebamus comprehendere volueris, hoc pene modo id agere poteris.

Primum quidem in universum statuit Clemens arctissimo unitatis vinculo inter se colligari singula Ecclesiæ Christi membra, hancque unitatem eo tantum pacto stare posse, ut fideles universi sacerdotibus ac episcopo circa omnia quæ religionis sunt subjiciantur. Quod ut illustret auctor, exemplum affert ductum ex hierarchia quæ sub veteri Testamento existebat; deinde vero historice enarrat modum quo Christus Apostolos, hi

(1) C. 42. « οἱ ἀποστολοι ἡμιν ευηγγελισθησαν απο τοῦ Κυριου Ιησου Χριστοῦ, Ἰησους ὁ Χριστος απο τοῦ Θεου. Εξεπεμφθη ὁ Χριστος ουν απο τοῦ Θεου, και οἱ ἀποστολοι απο τοῦ Χριστοῦ..... Κατα χωρας ουν και πολεις κηρυσσοντες, καθισταναν τας ἀπαρχας αὐτων, δοκιμασαντες τῳ πνευματι, εἰς ἐπισκοπους και διακονους των μελλοντων πιστευειν. »

(2) His verbis S. Clemens voluit laudibus efferre eos qui in ecclesia Corinthiorum sacra pollebant auctoritate, quosque schismatici de loco dejicere moliti fuerant.

(3) « Και οἱ ἀποστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν δια τοῦ Κυριου ἡμῶν Ἰησου Χριστοῦ, ὅτι ερις εσται ἐπι τοῦ ονοματος τῆς ἐπισκοπης. Δια ταυτην οὖν τὴν αιτιαν προγνωσιν εἰληφοτες τελειαν, κατεστησαν τους προειρημενους, και μεταξυ ἐπινομην δεδωκασιν, ὁπως ἐαν κοιμηθῶσιν, διαδεξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμενοι ἀνδρες την λειτουργιαν αὐτῶν.... » c. 44.

vero episcopos constituerunt, qui ita deinceps sese invicem in perpetuum excipientes populi christiani doctores et duces haberentur. — Quantum autem hæc doctrina a protestantium fidei regula differat, quantumque numeris omnibus cum ea quam et hodiedum catholici tuentur consentiat, nemo est qui non videat. Perpetuo enim principium auctoritatis commendat Clemens; perpetuo prædicat singulos Christi fideles episcopo subjici debere; ita ut ex ejus sententia non amplius veritatem ac salutem tenere dicendus sit, adeoque nec christianus nominari possit is qui episcopo refragetur, quippe qui Apostolorum, Christi et ipsius Dei Patris vices in terris gerat, atque adeo qui episcopo seu auctoritati resistat, Dei ordinationi resistat.

§ 2.

S. IGNATIUS, ANTIOCHIÆ EPISCOPUS.

S. Ignatius, D. Joannis discipulus, a quo etiam Antiochiæ in Syria episcopus fuit institutus (1), dum Romam peteret bestiarum dentibus objiciendus, sicque glorioso martyrio vitam clausurus, septem in itinere conscripsit epistolas quæ adhuc supersunt. Hæ autem sunt 1° Epistola ad Ephesios, 2° ad Magnesianos, 3° ad Trallianos, 4° ad Romanos, 5° ad Philadelphios, 6° ad Smyrnæos, 7° ad Polycarpum.

Si ad Romanos et ad Polycarpum epistolas exceperis, in reliquis omnibus idem fere scopus cernitur, eadem doctrinæ summa. Quoniam nempe tunc temporis in Asia Minori grassabantur Ebionitarum, Judaïzantium ac Docetarum errores, eo in primis spectant Ignatii litteræ, ut ab istis hæresibus christianos avertant. In iis porro erroribus refellendis, non in argumentis theoreticis præsidium veritatis collocat S. Martyr; sed id contra adversarios præcipue urget, apud eos tantum reperiri veram doctrinam qui gregis Dominici duces ac pastores a Deo sunt constituti; et ideo etiam atque etiam hortatur fideles ut quam arctissime episcopo adhæreant, rati eum Dei vices in terris gerere, et ita quidem, ut nemo cum Deo conjungi possit quin simul episcopi mandata et doctrinam sectetur. Plura igitur eaque maximi momenti apud Ignatium occurrunt tum testimonia, tum argumenta, quibus magisterii seu Ecclesiæ auctoritas statuatur et commendetur. Videbimus autem quantum ab ejus mente abhorreat protestantium regula, quamque arcta ac indivulsa sit, ex ipsius sententia, necessitudo quæ interest inter religionem christianam et Ecclesiæ auctoritatem : imo ejusmodi est vinculum istud, ut hanc ab illa Ignatius nunquam sejungat, nec animo quidem concipiat fieri posse ut vera doctrina extra magisterium a Christo institutum repe-

(1) *Acta Martyr. S. Ignat.*, c. 1. *Euseb. h. c.* III. 36.

riatur. Et vero nullum forsitan scriptorem offenderis qui pressius aut præclarius mutuam illam conjunctionem definierit; atque hac ratione Ignatii scripta non tantum catholicæ methodo firmandæ inserviunt, verum etiam scientiæ theologicæ exornandæ amplificandæque plurimas afferunt utilitates.

Longum sane foret omnia recensere quæ in S. Martyris epistolis thesi nostræ statuendæ usui esse possent, quippe quæ istiusmodi principiis refertæ sunt; quapropter præcipua tantum afferam, quæ scilicet necessaria mihi videntur ut universæ ejus doctrinæ summa habeatur. Ipsum jam audiamus.

Ad Ephesios scribens, exorditur laudibus efferendo eorum charitatem ac unionem, ipsosque hortatur ut illam perpetuo servent animorum conjunctionem : quo autem modo id fieri possit docet commendando obedientiam ac subjectionem episcopo : « Decet itaque, inquit, vos omnibus modis glorificare Dominum Jesum, qui glorificavit vos, ut in obedientia una sitis perfecti, eadem mente, eademque sententia; idemque dicatis de eodem omnes, *ut subjecti episcopo et presbyterio*, per omnia sanctificati sitis (1). » — Igitur unitas in omnibus, at in doctrina seu fide potissimum esse debet; sed per obedientiam episcopo et sacerdotibus præstitam servatur illa unitas : episcopus, utpote vices Dei gerens, unitatis principium ac centrum existit. Id porro mira animi modestia pergit Ignatius pressius exponere : « Non præcipio vobis quasi sim aliquis... At quando charitas non sinit me tacere de vobis, propterea anteverti vos admonere, ut in Dei sententiam concurratis. Etenim Jesus Christus, inseparabilis nostra vita, Patris est sententia; ut et episcopi per terræ terminos definiti, ex Jesu Christi sunt sententia. Unde decet vos in episcopi sententiam concurrere, quod et facitis (2). » — His verbis adumbratur præclara illa doctrina quæ apud Ignatium sæpius recurrit, quam quidem jam apud S. Clementem offendimus, eam vero magis perspicue variis modis versat atque exornat Ignatius.

Hæc autem sic brevi enuntiari potest.

Christiani omnes unum idemque corpus efficiunt, cujus membra singula tum inter se, tum cum ipso Deo, hujus unitatis fastigio ac coronide, quam arctissime consociantur. Quod si quæras quomodo oriatur ortaque

(1) « Πρεπον ουν ἐστι κατα παντα τροπον δοξαζειν Ἰησοῦν Χριστον... ἵνα ἐν μιᾷ ὑποταγῃ ἠτε κατηρτισμένοι τῳ αὐτῳ νοΐ και τῆ αὐτῃ γνωμῃ, και το αὐτο λεγητε παντες περι τοῦ αὐτοῦ, ἵνα ἐπιτασσομενοι τῳ ἐπισκοπῳ και τῳ πρεσβυτεριῳ, κατα παντα ἧτε ἡγιασμενοι. » c. 2.

(2) « ..... Και γαρ Ἰησοῦς Χριστος, το αδιακριτον ἡμῶν ζην, του πατρος ἡ γνωμη, ὡς και οἱ ἐπισκοποι οἱ κατα τα περατα ὁρισθεντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνωμῃ εἰσιν. Ὅθεν πρεπει ὑμιν συντρεχειν τῆ τοῦ ἐπισκοπου γνωμῃ, ὅπερ και ποιειτε. » c. 3 et 4.

consistat mira illa unitas, ita ex Ignatio respondendum est : Christus Deo Patri inhæret et cum eo conjungitur; episcopus autem, utpote Christum referens, simili fere modo cum Deo consociatur; reliqua porro Ecclesiæ membra cum episcopo connectuntur, ut sic tandem existat perfecta et absoluta unitas.

Hac ergo ratione Ephesios alloqui pergit Ignatius : « Si enim ego brevi temporis spatio talem consuetudinem contraxi cum episcopo vestro, quæ non humana sed spiritualis est, quanto vos beatiores judico *conjunctos sicut Ecclesia Jesu Christo, et Jesus Christus Patri, ut omnia per unitatem consentiant?.... Studeamus igitur episcopo non resistere, ut simus subjecti Deo* (1). » Nullus igitur Deo subjici et cum ipso conjungi quopiam pacto potest, nisi simul episcopo paruerit cum eoque fuerit consociatus; cujus quidem rei rationem hanc affert Ignatius, episcopum esse a Deo patrefamilias missum ad regendam familiam, adeoque tanquam Patrem ipsum ab omnibus habendum esse : « Quemcumque enim, ait, Paterfamilias mittit ad gubernandam familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum qui mittit. *Manifestum igitur est, quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum* (2). »

Eadem principia tradit S. Martyr in Epistola ad Magnesianos; sed ibi simul commemorat universam hierarchiam sacram qualis etiam nunc temporis cernitur in Ecclesia catholica, quæque episcopo, sacerdotibus et diaconis constat. En ejus verba : « Hortor ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia omnia agere, *episcopo præsidente Dei loco, et presbyteris loco senatus Apostolici, et diaconis, mihi suavissimis*, quibus commissum est ministerium Jesu Christi... Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil fecit, unitus existens, neque per seipsum, neque per Apostolos; sic neque vos sine episcopo et presbyteris aliquid operemini (3). » — Similia porro singulis fere epistolarum S. Ignatii paginis offendis; ubique, inquam, iteratis vicibus inculcat nullo pacto fieri posse, ut quis Dei filius haberi adeoque salutem Christi consequi possit nisi cum Ecclesia seu, qui eam refert, episcopo in omnibus consentiat.

Sic ad Smyrnæos scribens, postquam Docetarum errores impugnavit

(1) « ..... Ποσῳ μᾶλλον ὑμας μακαριζω, τους ἐγκεκραμενους (animadvertas, velim, vim istius vocabuli) οὑτως, ὡς ἡ ἐκκλησια Ιησοῦ Χριστῳ, και ὁ 'Ιησοῦς Χριστος τῳ πατρι, ἱνα παντα ἐν ἑνοτητι συμφωνα ᾖ; .... σπουδασωμεν ουν μη ἀντιτασσεσθαι τῳ ἐπισκοπῳ, ἱνα ὦμεν θεοῦ (vel θεῷ) ὑποτασσομενοι. » C. 5.

(2) « .... Τον ουν ἐπισκοπον δῆλον ὅτῖ ὡς αὐτον τον Κυριον δει προσβλεπειν. » C. 6.

(3) « Παραινω ἐν ὁμονοιᾳ θεοῦ σπουδαζετε παντα πρασσειν, προκαθεμενου του ἐπισκοπου εἰς τοπον θεοῦ, και των πρεσβυτερων εἰς τοπον συνεδριου τῶν ἀποστολων, και τῶν διακονων.... Ὥσπερ ὁ Κυριος ανευ τοῦ πατρος οὐδεν εποιησεν, ἡνωμενος ὤν, ουτε δι' ἑαυτοῦ, ουτε δια τῶν ἀποστολων· οὑτως μηδε ὑμεῖς ανευ τοῦ ἐπισκοπου, και τῶν πρεσβυτερων, μηδεν πρασσετε. » C. 6 et 7. — Cf. c. 3.

ostendendo iis totam Christi religionem perturbari ac tolli, pergit Smyrnæos monere tutissimam, qua istorum hæreticorum scopulos effugiant, rationem in eo consistere ut indivulse episcopo ceu ipsi Deo adhæreant : « Omnes *episcopum* sequimini ut Jesus Christus Patrem; et *presbyterium*, ut apostolos; *diaconos* autem revereamini, ut Dei mandatum (1). Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quæ sub episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi CATHOLICA *est Ecclesia*.... Qui honorat episcopum, a Deo honoratus est. Qui clam episcopo aliquid agit, Diabolo præstat obsequium (2). »

Eamdem doctrinam pandit auctor in *Epistola ad Trallianos;* et commemorata sacra hierarchia, episcopo scilicet, presbyteris et diaconis, quorum imperio ut semper obsequantur Trallianos impense hortatur, hanc addit rationem : « *Sine his Ecclesia non vocatur* (3). » Deinde vero quo facilius se e fallacibus hæreticorum artibus expediant, his verbis commendat subjectionem episcopo et per eum Apostolis ac Jesu Christo præstandam : « A talibus (hæreticis) igitur vos custodite. Quod fiet, si inflati non fueritis, et indivulsi manseritis a Deo Jesu Christo, et episcopo et præceptis Apostolorum (4). » Sic autem *a priori* damnat atque a salute excludit hæreticos pariter ac schismaticos, eos denique omnes qui cum Ecclesiæ ducibus non consentiunt : « Qui intra altare est, mundus est; qui vero extra est, non est mundus; h. e., qui sine episcopo et presbyterio et diaconis quidpiam agit, is non est mundus in conscientia (5). »

Denique in *Epistola ad Philadelphenses* eodem fere modo conceptis verbis damnat tum schisma tum hæresim, docetque illum *regni Dei hæreditatem non esse consecuturum qui schismata facientem sectatur*, quod

(1) *Ut Dei mandatum*, h. e. tanquam Dei præcepto institutos, ut habetur in Epist. ad Trall.

(2) « Παντες τῷ ἐπισκοπῳ ἀκολουθειτε, ὡς Ἰησοῦς Χριστος τῳ πατρι, και τῷ πρεσβυτεριῳ ὡς τοῖς αποστολοις· τους δε διακονους ἐντρεπεσθε, ὡς θεου ἐντολην. Μηδεις χωρις τοῦ ἐπισκοπου τι πρασσετω τῶν ἀνηκοντων εἰς την ἐκκλησιαν.... ὅπου ἄν φαιῃ ὁ ἐπισκοπος, ἐκει το πληθος ἐστω· ὥσπερ ὅπου ἂν ᾖ Χριστος Ἰησοῦς, ἐκει ἡ καθολικη ἐκκλησια ..... » C. 8, 9. — Animadvertendum est hic apud Ignatium primum occurrere nomen *catholicæ* ecclesiæ.

(3) « χωρις τουτων ἐκκλησια οὐ καλειται. » c. 3.

(4) « Φυλαττεσθε ουν τους τοιουτους. Τουτο δε ἐσται ὑμιν μη φυσιουμενοις, και οὖσιν ἀχωριστοις θεου Ἰησου Χριστου, και του επισκοπου, και των διαταγματων των ἀποστολων. » c. 7.

(5) « Ο ἐντος θυσιαστηριου ὡν, καθαρος ἐστιν· ὁ δε ἐκτος ὡν, οὐ καθαρος ἐστιν· τουτ' ἐστιν, ὁ χωρις επισκοπου και πρεσβυτεριου και διακονου πρασσων τι, οὑτος οὐ καθαρος ἐστιν τῃ συνειδησει. » c. 7.

nempe non amplius cum episcopo, adeoque nec cum Christo nec cum Deo Patre sentiat. Sic eos affatur : « Filii itaque lucis et veritatis, fugite *divisionem* et *pravas doctrinas*. Ubi autem pastor est, eodem ut oves sequamini... Abstinete ab herbis noxiis, quas Jesus Christus non excolit, quia non sunt plantatio Patris. Non quod apud vos divisionem invenerim, sed excolationem. *Quotquot enim Dei et Jesu Christi sunt*, *hi sunt cum episcopo* (vides quemadmodum docet eos ut salutis participes *a priori* esse habendos eosque tantum qui sunt cum episcopo, seu cum Ecclesia). Quotquot autem pœnitentia ducti redierint ad *unitatem Ecclesiæ* (en conditio necessaria), et isti Dei erunt, ut secundum Jesum Christum vivant. Ne erretis, fratres mei. *Si quis schismata facientem sectatur*, *regni Dei hæreditatem non consequitur. Si quis in aliena sententia ambulat*, *iste passioni non consentit.* Operam igitur detis, ut una Eucharistia utamini. Una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius; unum altare, sicut unus episcopus, cum presbyterio et diaconis conservis meis, ut quod facitis, secundum Deum faciatis (1). »

Ea profecto apertiora ac explicatiora sunt quam ut uberiori oratione egeant. Id jam certum exploratumque est, ex Ignatii sententia tantum abesse ut, quod aiunt protestantes, Christi religio cujusque hominis privati Scripturas interpretantis judicio sit permissa, ut contra perpetuo doceat ibi tantum esse veram doctrinam et salutem ubi est episcopus seu Ecclesia, et eo ipso tamquam falsam et Christo oppositam habeat eorum doctrinam, qui cum episcopo non consentiunt : neque enim sinit vel in medium vocari dogmata eorum qui extra Ecclesiam versantur; id ipsi satis est, hos ab Ecclesiæ ducibus dissentire; propter hanc namque rationem necessario quoque a veri tramite eos aberrare. Ex Ignatio autem Ecclesiæ magisterium nunquam fallitur, quippe quod vices Dei gerit, adeoque et Christi et Dei Patris vox et os dici potest. Ex illa Ecclesiæ *infallibilitate* perpetuo, ut vidimus, argumentatur; nusquam enim de ejus doctrinæ veritate dubium moveri sinit. Cæterum hanc Ecclesiæ dotem conceptis verbis effert in Epistola ad Ephesios dicens : « Ob id

(1) « Τεκνα ουν φωτος, ἀληθειας, φευγετε τον μερισμον, και τας κακοδιδασκαλιας· ὁπου δε ὁ ποιμην ἐστιν, ἐκει ὡς προβατα ἀκολουθειτε..... ὁσοι γαρ θεου εἰσιν και Ἰησου Χριστου, οὑτοι μετα του επισκοπου εἰσιν· και ὁσοι αν μετανοησαντες ἐλθωσιν ἐπι την ἑνοτητα της ἐκκλησιας, οὑτοι θεου εσονται, ἱνα ὡσιν κατα Ἰησουν Χριστον ζωντες. Μη πλανασθε ἀδελφοι μου· είτις σχιζοντι ἀκολουθει, βασιλειαν θεου οὐ κληρονομει · εἰτις ἐν αλλοτριᾳ γνωμῃ περιπατει, οὑτος τῳ παθει οὐ συγκατατιθεται. Σπουδαζετε ουν μιᾳ εὐχαριστια χρησθαι· μια γαρ σαρξ του Κυριου ἡμων Ἰησου Χριστου, και ἑν ποτηριον εις ἑνωσιν του αιματος αὐτου· ἑν θυσιαστηριον, ὡς εἱς επισκοπος, ἁμα τῳ πρεσβυτεριῳ και διακονοις τοις συνδουλοις μου, ἱνα ὁ ἐαν πρασσετε κατα θεον πρασσητε. » c. 2—5.

Dominus in capite suo accepit unguentum, ut Ecclesiæ spiret incorruptionem (1). »

Nihil addendum arbitror iis quæ hactenus ex S. Ignatii ore excepimus; quilibet enim theologus facile perspiciet quam præclara sint quæ audivimus principia omnia, quamque uberrimos fructus scientia theologica ex his percipere debeat.

Verum ut omnibus tandem numeris absoluta habeatur S. Martyris circa Ecclesiam doctrina, monendum etiam est ipsi Romanam sedem fuisse cæterarum ecclesiarum principem ac dominam. Enim vero singulæ quæ in universo orbe sunt ecclesiæ unam, ut ipse inquit, efficiunt Ecclesiam *catholicam;* ea autem omnium ecclesiarum unitas consistere nequit quin simul sedes aliqua tanquam istius unitatis principium ac centrum habeatur; hanc porro sedem in Romanæ Ecclesiæ cathedra inesse docet Ignatius. Quocirca in exordio suæ *ad Romanos Epistolæ* beatam illam Ecclesiam eo nomine appellat : « Ignatius ... Ecclesiæ ... *quæ præsidet charitati* (2); » notum est autem vel ex iis quæ ante adduximus, quod sane in singulis fere S. Martyris epistolarum paginis cernitur, charitatem (η αγαπη) idem ipsi esse ac christianorum consortium, quod nempe, ut vidimus, fideles omnes spectet ut arctissimo quodam fidei et charitatis vinculo inter se nexos colligatosque.

§ 3.

S. POLYCARPUS, SMYRNÆUS EPISCOPUS.

Pauca tantum de S. Polycarpo nobis dicenda occurrunt; at quantumvis brevia, optime tamen monstrant quis ex ejus sententia sacris Litteris locus esse debeat, quæve in universum religionis christianæ methodus.

Præter quædam fragmenta epistolarum quas ad varias ecclesias direxerat, ex D. Polycarpi scriptis superest tantum *Epistola ad Philippenses.* Sed priusquam de hac Epistola verba faciamus, paulisper audiamus quid S. Irenæus, Polycarpi discipulus, de istius viri apostolici moribus ac vitæ consuetudine referat; neque enim verbis modo, verum etiam gestis mens hominum panditur.

Sic ergo narrat Irenæus : « Polycarpus autem non solum ab Apostolis edoctus, et conversatus cum multis ex eis qui Dominum nostrum viderunt; sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus episcopus, quem et nos vidimus in prima nostra ætate ....

(1) « Δια τουτο μυρον ἔλαβεν ἐπι της κεφαλης ἀυτου ὁ Κυριος, ἱνα πνεη τῃ ἐκκλησιᾳ αφθαρσιαν. » c. 17.

(2) « Ἰγνατιος... εκκλησιᾳ ... ἡτις προκαθημενη της ἀγαπης. » Sub init.

hæc docuit semper quæ ab Apostolis didicerat, quæ et Ecclesiæ tradidit, et sola sunt vera (1). » — Vides quemadmodum S. Polycarpus nequaquam examinis privati, sed traditionis et auctoritatis methodum perpetuo sit sectatus. Quod si roges an hæreticos habuerit aliquo saltem pacto tamquam Christi fideles, num eorum dogmata examini subjicienda duxerit, ut de veritate aut falsitate judicaretur, an vero ea *a priori* ut falsa damnaverit, Irenæi testimonium audire pergas : « Is est (Polycarpus) qui sub Aniceto cum advenisset in urbem, multos ex his quos prædiximus, hæreticos convertit in Ecclesiam Dei, unam et solam hanc veritatem annuntians ab Apostolis percepisse se, quam et Ecclesiæ tradidit.... Et ipse autem Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi, et dicenti : *cognoscis nos?* respondit : *cognosco te primogenitum Satanæ* (2). »

At de ipsius Polycarpi ad Philippenses Epistola sermo jam instituatur.

Postquam (c. 1) Philippensibus gratulatus est de firma constantia in fide quæ *ab antiquis temporibus* ipsis annuntiata fuit (3), simulque (c. 2) brevem istius fidei professionem contexuit, hæc tandem (c. 3) circa mutuam quæ inter ecclesiasticam institutionem et Scripturam intercedit necessitudinem præclare, etsi obiter tantum, dicta habet: « Hæc, fratres, non quod mihi arrogem, scribo vobis de justitia, sed quia vos provocastis me. Neque enim ego, neque alius mei similis, assequi potest beati et gloriosi Pauli sapientiam; qui cum esset apud vos in conspectu hominum qui tunc vivebant, *perfecte ac firmiter* DOCUIT *verbum veritatis* (en institutio, quæ semper litteris præire debet); qui et absens vobis scripsit epistolas, in quas si intueamini, *ædificari poteritis* IN FIDE QUÆ DATA EST VOBIS (4). »

Hæc brevia quidem, at uberrima tamen, si eam quam exhibent methodum spectaveris. Docet enim Polycarpus Scripturas maximo sane usui esse posse, sed iis qui jam fidem acceperunt, quique nequaquam studeant ex Scripturis doctrinam traditam corrigere, quemadmodum agunt protestantes, sed illis utantur ut in eadem confirmentur et *ædificentur*. Itaque doctrinæ prius traditæ innitantur oportet Scripturarum lectio et intel-

(1) « .... Ταυτα διδαξας ἀει ἁ και παρα των ἀποστολων εμαθεν, ἁ και ἡ εκκλησια παραδιδωσιν (loco ἡ εκκλησια, vetus interpres in suo codice legerit τῃ εκκλησιᾳ, atque hæc lectio præferenda videtur), ἁ και μονα εστιν ἀληθη. » *Iren. contra Hæres.*, lib. III, c. 3, n. 4.

(2) *Ibid.*

(3) « Και ὁτι ἡ βεβαια της πιστεως ὑμων ριζα, ἐξ ἀρχαιων καταγγελλομενη χρονων, μεχρι νυν διαμενει. » C. 1.

(4) « .... Ὁς (Παυλος) γενομενος ἐν ὑμιν κατα προσωπον των τοτε ἀνθρωπων, ἐδιδαξεν ἀκριβως και βεβαιως τον περι ἀληθειας λογον· ὁς και ἀπων ὑμιν ἐγραψεν ἐπιστολας, εἰς ἁς ἐαν ἐγκυπτητε, δυνηθησεσθε οἰκοδομεισθαι εἰς την δοθεισαν ὑμιν πιστιν. » C. 3.

lectus, nihilque ex his petatur unquam quod illi oppositum sit; secus enim non ædificant, at tollunt doctrinam acceptam. En verus Scripturarum locus, en germanus earumdem usus.

Alibi Docetas damnans et falsam quam obtrudebant Scripturarum interpretationem rejiciens, fideles monet ut, quo tutius errorem effugiant, ad traditum ipsis sermonem revertantur; quidquid enim huic contradicat a vero aberrare. Sic ipse loquitur : « Omnis enim qui non confessus fuerit Jesum Christum in carne venisse, anti-Christus est, et qui non confessus fuerit martyrium crucis, ex Diabolo est; et *qui eloquia Domini traduxerit ad desideria sua* (his verbis perbelle indicat Polycarpus brevi de Scripturis actum iri si sibi ipsæ permitterentur), dixeritque neque resurrectionem neque judicium esse, hic primogenitus est Satanæ. Quocirca derelicta plerorumque vanitate falsisque doctrinis, *ad traditum nobis ab initio sermonem revertamur* (1). »

Atque hæc de S. Polycarpo dixisse sufficiat.

Sic autem omnino absolvitur ea quam institueram de Patribus apostolicis tractatio theologica. Et quidem hactenus allata abunde, ni fallor, commonstrant hos Apostolorum propinquiores discipulos ab illa quam apud eorum magistros offenderamus via ac ratione haud descivisse; utrobique enim una cernitur methodus, eademque non privati examinis ac judicii, sed auctoritatis ac magisterii; utrobique illud dogma occurrit, ab Ecclesiæ principibus accipiendam esse veram Christi doctrinam, eamque summa cura perpetuo tenendam, quum illi a Deo sacræ religionis doctores ac custodes integerrimi sint constituti. Et porro in epistolis Patrum apostolicorum plurima nobis obvia fuere ad rem theologicam illustrandam amplificandamque maxime accommodata.

His igitur absolutis, ad alios jam sensûs vere christiani testes ac præcones properamus.

CAPUT IV.

DE IIS PATRIBUS QUI POST ÆVUM APOSTOLICUM FLORUERE.

Hoc uno capite universam, quam de reliquis Patribus aggredimur, tractationem definiemus. De octo autem deinceps Patribus sermonem omnino sum habiturus, quorum quidem quatuor e Græcis, quatuor au-

(1) « .... Ὁς ἀν μεθοδευῃ τα λογια του Κυριου προς τας ἰδιας ἐπιθυμιας, και λεγῃ μητε ἀναστασιν, μητε κρισιν εἰναι, οὑτος πρωτότοκος ἐστι του Σατανα. Διο ἀπολιποντες την ματαιοτητα των πολλων, και τας ψευδοδιδασκαλιας, ἐπι τον εξ ἀρχης ἡμιν παραδοθεντα λογον ἐπιστρεψωμεν. » C. 7.

tem e Latinis. Atque ut jam hic eos nominatim designem, hi sunt : ex Græcis nempe S. Irenæus, Clemens Alexandrinus, S. Athanasius et S. Basilius; ex Latinis autem Tertullianus, S. Cyprianus, S. Augustinus et Vincentius Lerinensis. Ab Irenæo exordior.

§ 1.

S. IRENÆUS, EPISCOPUS LUGDUNENSIS.

S. Irenæus B. Polycarpi discipulus erat, ut ipse testatur in eo suæ ad Florinum Epistolæ fragmento quod servavit Eusebius (1). Plurima eruditione, et præsertim maxima ingenii vi ac acie pollebat Irenæus; imo vero inter Patres et reliquos scriptores qui inde a Christo ad nostram ætatem usque scientia ac præstantiori mentis virtute excelluerunt præclarum locum sibi jure vindicat. Multa edidit scripta, sed pleraque temporum injuria interierunt. Unum tamen et quidem præcipuum feliciori fortuna usum ad nos pervenit : est autem tractatus polemicus qui dici consuevit *Adversus Hæreses* (2).

Hoc porro tractatu nullus circa idem argumentum antiquior certe occurrit, at nescio ego an in posterum alius unquam fuerit editus qui illi quopiam pacto præstet, præsertim quod attinet ad methodi seu regulæ traditionis expositionem scientificam, atque eorum tandem principiorum omnium ex quibus constat theologiæ christianæ vera ac germana indoles.

Quocirca non ad refellendos protestantes modo, verum etiam ad rem theologicam exornandam maxime idoneum est illud D. Irenæi opus; et ideo paulo copiosius de eo dicturus sum.

Operis argumentum in eo versatur, ut Gnosticorum errores refellat. In lib. I primum exponit systema Valentinianorum, eique opponit Ecclesiæ doctrinam, quæ, inquit, perpetuo eadem permanet, quum hæreticorum dogmata in dies immutantur. Perbelle hic docet Ecclesiæ fidem semper unam eamdemque ubique terrarum perseverare, quod eam ab uno magistro acceperit : « Etenim Ecclesia, tametsi per universum orbem usque ad extremos terræ fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quæ est in unum Deum..... *(sequitur fidei symbolum)* acceptam, inquam, hanc prædicationem ac fidem, uti ante diximus, Ecclesia, tametsi per totum orbem sparsa, summo studio et cura, perinde atque unam domum incolens, conservat, ac velut animam unam, atque unum idemque cor habens, his æque fidem ac-

(1) *Hist. Eccl.* lib. V, c. 20.

(2) Titulus quem isti operi S. Irenæus præfixerat hic est : ἐλεγχος και ἀνατροφη της ψευδωνυμου γνωσεως.

commodat, et miro consensu, quasi uno ore prædita, hæc prædicat, docet, ac tradit. Ac neque hæ, quæ in Germaniis sitæ sunt, ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, nec quæ in Hispaniis aut Galliis, aut in Oriente, aut in Ægypto, aut in Africa, aut in mediterraneis orbis regionibus sedem habent. Verum ut sol hic a Deo conditus, in universo mundo unus atque idem est : ita etiam veritatis prædicatio passim lucet, omnesque homines, qui ad veritatis agnitionem venire cupiunt, illustrat. Nec vero aut is ex Ecclesiæ Antistitibus, qui dicendi facultate pollet, ab his diversa dicturus est : (nemo enim supra magistrum assurgit) aut is rursus, qui parum dicendo valet, traditioni detrimentum afferet. Nam cum una atque eadem fides sit, nec qui de ea uberrimam orationem habere potest, exuberat : nec qui pauca habet quæ dicat, eam imminuit (1). » — Doctrina ergo christiana ceu depositum quoddam Ecclesiæ curis mandata est, quæ eam quidem per universum orbem tradit ac prædicat eamdem semper et illibatam, vetatque quominus quidpiam illi addatur detrahaturve. Verum, pergit Irenæus, opposita prorsus indoles in hæresibus cernitur, hæ namque in dies sententiam mutant : idcirco texit *Historiam Variationum* hæreseos Valentinianæ (2).

Libro II confutat et absona penitus esse demonstrat Valentinianorum commenta quæ superiori libro exposuerat. Denique lib. III copiose disserit auctor de traditione seu Ecclesia docente, deque universa methodo qua cognoscatur veritas et deprehendatur error. In hoc ergo libro perlustrando diutius immoremur necesse est.

Librum hunc exorsurus, monet eum ad quem illum mittit ex iis quæ mox dicturus est plenissimam tandem fore adversus omnes hæreticos *contradictionem* : « Memento igitur eorum quæ diximus in prioribus duobus libris; et hæc illis adjungens, plenissimam habebis a nobis adversus omnes hæreticos contradictionem, et fiducialiter ac instantissime resistes eis *pro sola vera vivifica fide, quam ab Apostolis Ecclesia percepit, et distribuit filiis suis* (3). » — Sic christiani omnes via traditionis ac institutionis veram doctrinam accipiunt. Quod si quæras quæ tandem sit illa traditio, quave forma, externa, inquam, ac viva induta sit, ita ut om-

(1) « Η μεν γαρ εκκλησια, καιπερ καθ' ὁλης της οἰκουμενης ἑως περατων της γης διεσπαρμενη, παρα δε των αποστολων, και των ἐκεινων μαθητων παραλαβουσα την εἰς ἑνα θεον..... τουτο το κηρυγμα παρειληφυια.... ἡ εκκλησια.... ἐπιμελως φυλασσει, ὡς ἑνα οἰκον οἰκουσα· και ὁμοιως πιστευει τουτοις, ὡς μιαν ψυχην και την αὐτην εχουσα καρδιαν, και συμφωνως ταυτα κηρυσσει, και διδασκει, και παραδιδωσιν, ὡς ἑν στομα κεκτημενη. κ. τ. λ. » *S. Iren. Detectionis et eversionis falso cognonimatæ agnitionis, seu contra Hæreses libri quinque;* lib. I, c. 10, n. 1 et 2, ed. Massuet.

(2) Hac ergo in re S. Irenæus Bossueto jam præiverat.

(3) *Præfat.*

nium oculos statim offendat, respondet Irenæus eam esse Ecclesiam, hoc est, episcopos ab Apostolis institutos et eorum successores.

Prius vero audiamus illum Gnosticorum indolem depingentem; hæc enim ejus descriptio in omnium ferme ætatum hæreticos quadrat. Postquam ergo c. 1 dixerat Apostolos primum quidem viva voce prædicasse, deinde vero libros novi Testamenti conscriptos fuisse, c. 2 ita de hæreticis loquitur : « Cum enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum (1), quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia variæ sint dictæ, et *quia non possit ex his inveniri veritas ab his qui nesciant traditionem* (2).... Cum autem ad eam iterum Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur Traditioni, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem, Apostolos autem admiscuisse ea quæ sunt legalia Salvatoris verbis (3).»

Nunc autem responsum superius indicatum jam ex Irenæo subjiciamus. His igitur verbis præclare exponit universum tum religionis tum ipsius Ecclesiæ systema : « Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre : *et habemus annumerare eos qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur.* Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes : quibus emendate agentibus (4), fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas. Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per succes-

(1) Notum est Lutherum, quum Epistolæ S. Jacobi auctoritate premeretur, eam statim librorum sacrorum canone expunxisse; teste Irenæo, vetus est iste hæreticorum mos.

(2) Quod quidem verissimum est, ut mox dicturus est ipse Irenæus, sed diverso prorsus sensu; Gnostici enim occultam quamdam et ignotam traditionem obtrudebant.

(3) Ut postea videbimus, eadem somnia venditant hodie plurimi protestantes germani, quos, cum Irenæo (*ibid.* c. 1), *emendatores Apostolorum* haud immerito dixeris.

(4) Phrasis hæc minus perspicua videtur. S. Irenæus Græce scripserit : ὧν κατορθούντων = *quibus munere suo probe fungentibus.*

siones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem et malam sententiam, præterquam oportet colligunt. *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio (1). » — Quibus ita constitutis, Irenæus texit catalogum episcoporum qui post S. Petrum Romanam Ecclesiam rexere, atque tandem ita argumentationem claudit : « Hac ordinatione et successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis præconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate (2). »

Locus is universus gravissima profecto decreta fundit et qui rite perpendatur perdignus mihi videtur; mirum enim in modum integram atque omnibus suis partibus expletam prodit doctrinam de Ecclesiæ auctoritate. Et vero primum docet Irenæus via magisterii et auctoritatis tradi servarique Christi religionem, magisterium autem hoc non in quibusvis hominibus, sed in episcopis Apostolorum successoribus inesse; et porro ipsius magisterii centrum et caput Romanæ Ecclesiæ antistitem consistere. Qua autem ratione vera doctrina cognosci et a quovis errore tuto secerni debeat? An forte id Scripturæ et privato cujusque judicio sit permittendum? Mimine vero, inquit Irenæus; sed ad unum Ecclesiæ magisterium exigantur oportet dogmata quævis, et si quæ eorum ab hac regula aberrare reperiantur, nihil quæras amplius, falsa sunt et mera delirantium hominum commenta.

Hanc Irenæi, quæ et omnium Patrum est, methodum animo probe teneant theologi catholici, ne, dum exponunt tuenturve Christianæ religionis principia aut etiam peculiaria dogmata, in viam a recto tramite abhorrentem atque protestantium regulæ propinquiorem vel inscii, ut fit quandoque, unquam trahantur.

Eam porro doctrinam concinne ac eleganter his verbis evolvere pergit Irenæus : « Tantæ igitur ostensiones cum sint, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in eam contulerint omnia quæ sint veritatis : uti omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures sunt et latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt

(1) Lib. III, c. 3, n. 1 et 2.

(2) « Τῃ αὐτῃ ταξει, και τῃ αὐτῇ διδαχῃ ἡτε ἀπο των ἀποστολων ἐν τῃ ἐκκλησιᾳ παραδοσις, και το της ἀληθειας κηρυγμα κατηντηκεν εἰς ἡμας. » *Ibid.* n. 3

Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere (1), et apprehendere veritatis traditionem (2). »

Dubio procul liquet jam, ex Irenæi judicio, S. Scripturas nequaquam ut religionis fundamentum haberi posse, imo non alium quam adventitium ipsis locum esse. Sed illud non in universum modo, verum peculiari cura ac disertis verbis edixit auctor : « Quid autem, ait, si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? » — Et re quidem vera, teste Irenæo, plurimæ gentes hac una traditionis via sine Scripturarum adjumento veram Christi fidem tenent; quod si hoc, cur non idem apud reliquos populos fieri potuisset? « Cui, pergit ipse, ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sine charta et atramento scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes, fabricatorem cœli et terræ, et omnium quæ in eis sunt, per Christum Jesum Dei Filium.... Hanc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt : quantum autem ad sententiam, et consuetudinem, et conversationem, propter fidem perquam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia, et castitate, et sapientia. Quibus si aliquis annuntiaverit ea *quæ ab hæreticis adinventa sunt* (vide hæreseos indolem, antiqua respuere, nova condere), proprio sermone eorum colloquens, statim concludentes aures, longo longius fugient, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Sic, per illam veterem Apostolorum Traditionem, ne in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcumque eorum portentiloquium est : nequedum enim congregratio fuit apud eos, neque doctrina instituta (3). »

Ideone vero flocci facienda Scriptura atque a theologiæ christianæ limitibus arcenda? Id asseverare profecto æque impium ac absurdum foret. Equidem in systemate christiano non nisi adventitium locum illa sibi vindicat, necessaria non est, at perutilis tamen, iis, inquam, qui quo condita est animo, eodem illam legunt et intelligunt. Quocirca postquam religionis ac theologiæ christianæ leges edixit Irenæus, ad Scripturam tandem redit, atque ex hac plura adversus hæreticos argumenta elicit : « Traditione igitur, quæ est ab Apostolis, sic se habente in Ecclesia, et

(1) *Diligere* hic pro *deligere* accipiendum videtur.

(2) Lib. III, c. 4, n. 1.

(3) *Ib.* c. IV, n. 1 et 2. — Subobscurior videtur sensus postremæ particulæ istius pericopæ. *Nequedum* porro pro *necdum* accipimus, ita ut is sensus esse videatur : — *necdum enim, cum Apostoli barbaris illis populis Evangelium nuntiabant, hæreticorum congregatio erat apud eos, vel perversa eorum doctrina ibi nota*, ut deinceps ostendit Irenæus.

permanente apud nos, revertamur ad eam, quæ est ex Scripturis ostensionem eorum, qui Evangelium conscripserunt, Apostolorum (1). » — Et vero pergit Irenæus e Scripturis contra Gnosticos argumentari eorumque placita singulatim refellere. Quo præstito, paucis contrahens ea quæ copiose hactenus disseruerat, sic orationem concludit : « Traductis igitur omnibus qui nefandas inferunt de factore et plasmatore nostro....; prædicationem vero Ecclesiæ undique constantem, et æqualiter perseverantem, et testimonium habentem a Prophetis et ab Apostolis, et ab omnibus discipulis, quemadmodum ostendimus per initia, et medietates, et finem, et per universam Dei dispositionem, et eam quæ secundum salutem hominis est solitam operationem, quæ est *in fide nostra; quam perceptam ab Ecclesia* (En ordo naturæ, via scilicet institutionis ac traditionis : Ecclesia docet, homo accipit) custodimus, et quæ semper a Spiritu Dei (commemorat nunc auxilium quo communita Ecclesia falli nequit), quasi in vase bono eximium quoddam depositum juvenescens, et juvenescere faciens ipsum vas in quo est. Hoc enim Ecclesiæ creditum est Dei munus, *quemadmodum ad inspirationem plasmationi* (2), ad hoc ut omnia membra percipientia vivificentur : et in eo disposita (forsitan legendum est *deposita*) est communicatio Christi, id est, Spiritus sanctus, *arrha incorruptelæ*, et confirmatio fidei nostræ, et scala ascensionis ad Deum. *In Ecclesia enim*, inquit, *posuit Deus Apostolos*, *prophetas*, *doctores*, et universam reliquam operationem Spiritus : cujus non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam, sed semetipsos fraudant a vita, per sententiam malam et operationem pessimam. *Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia, et omnis gratia : Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem; sed effodiunt sibi locos detritos de fossis terrenis, et de cœno putidam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, ne traducantur; rejicientes vero Spiritum, ut non erudiantur* (3). »

Apertiora sane ac illustriora sunt ea verba quam ut aliqua commentatione egeant. Vides quemadmodum, ex Irenæi mente, tam arcto vinculo Spiritus Dei et Ecclesia inter se jungantur, ut sicubi Ecclesia fuerit, ibidem æque agnosci Dei Spiritum necesse sit; *Spiritus autem est veritas :* adeoque quidquid docet Ecclesia, verum est, nihilque falsi unquam doctrinam ejus fœdare poterit. Qui vero ab Ecclesiæ doctrina absunt, iidem a Spiritu Dei, et idcirco a veritate, dissident : uti enim quidquid Spiritui Dei opponitur, id falsum est, ita quidquid Ecclesiæ dogmatibus adversatur, illud in erratis habeatur oportet.

(1) *Ibid.* c. V, n. 1.

(2) Verba hæc idem notare videntur ac si haberetur : *velut ad animationem* (id enim sonat *inspiratio*) *opificii Dei.*

(3) *Lib.* III, c. 24, n. 1.

Alibi sæpius eamdem pandit sententiam. Sic lib. IV, c. 33, n. 7 ait idem esse extra Ecclesiam atque extra veritatem versari : « Judicabit (verus Christi discipulus) autem et omnes eos qui sunt extra veritatem, *id est, qui sunt extra Ecclesiam.* »

Antequam Irenæum mittamus, nonnulla restant adjicienda de sacris Scripturis. Statuit eas ab Ecclesia sejungi nullo pacto posse, docetque illas ab Ecclesiæ magisterio tantum integras servari, maxime vero ab hoc solum, vel ejusdem consensu, rite et sine periculo legi et exponi : sic ergo loquitur : « Agnitio (γνωσις) vera (1) est Apostolorum doctrina, et antiquus Ecclesiæ status, in universo mundo, et character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi eam, quæ in unoquoque loco est, ecclesiam tradiderunt : quæ pervenit usque ad nos custoditione sine fictione Scripturarum tractatio plenissima, neque additamentum neque ablationem recipiens; et lectio sine falsatione, et secundum Scripturas expositio legitima, et diligens, et sine periculo, et sine blasphemia (2). » — Alibi autem hæc habet : « Ubi igitur charismata Domini posita sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos est ab Apostolis Ecclesiæ successio, et id quod est sanum et irreprobabile conversationis, et inadulteratum et incorruptibile sermonis constat. Hi enim et eam quæ est in unum Deum, qui omnia fecit, fidem nostram custodiunt... et *Scripturas sine periculo nobis exponunt*, neque Deum blasphemantes, neque Patriarchas exhonorantes, neque Prophetas contemnentes (3). » — Itaque ea quæ Scripturas inter et Ecclesiam intercedit necessitudo, ut illæ sine hac nec integræ servari nec præsertim recte exponi possint : penes Ecclesiam ergo tantum est recta, tuta ac legitima Scripturarum expositio.

Atque ita tandem ex hactenus allatis Irenæi locis existit systema perfectum et absolutum de methodo institutionis et auctoritatis. Ad alia progredimur.

§ 2.

TERTULLIANUS.

Dubium nullum moveri potest circa veram Tertulliani sententiam de via ac ratione qua tum tradenda tum conservanda sit religio; ratum enim ac certum penitus est ipsum non privati judicii aut examinis, sed institutionis atque auctoritatis methodum docuisse et propugnasse. Quamobrem si adversus protestantes tantum lis nobis foret, haud diu sane

(1) Opponit veram γνωσιν falsæ γνωσει gnosticorum.
(2) *Lib.* IV, c. 33, n. 8.
(3) *Lib.* IV, c. 26, n. 5.

ea, quod ad Tertullianum attinet, sub judice maneret. At, ut jam monuimus, non polemicum modo, sed et dogmaticum theologum agimus, et idcirco Tertulliani mentem paulo fusius persequi juvabit, quandoquidem, me judice, inde plurimum crescere et amplificari possit theologiæ patrimonium. Enimvero in Tertulliani scriptis præclarus profecto controversiæ profectus cernitur. Quum autum profectus is, quem dico, præcipue in opere de *Præscriptione* conspiciatur, ideo ex hoc tantum Tertulliani circa auctoritatem et examen privatum doctrinam eliciam.

Ut porro vel a limine tractationis probe teneas in quo profectum hunc inesse sentiam, hic jam in universum dicam quid egerit Tertullianus. Igitur in duplici potissimum capite mihi præstare videtur auctor iis qui superiori ætate floruere : in hæreseos, inquam, germana ac nativa indole, fidei prorsus adversa, depingenda, et in evolvendo præclaro illo argumento quod *præscriptionis* appellat. In eo versatur argumentum hoc, ut dicatur nequaquam opus esse hæreticorum doctrinam perpendere aut examini subjicere et ita singulatim refellere, sed ut *a priori* falsa habeatur, quod ipsi novi sint adeoque peregrini et a veritatis antiquæ *possessione* alieni, dum contra jampridem quiete et tranquille *possideat* Ecclesia.

Antea quidem idem argumentum apud superiores Patres jam vidimus, quippe qui hæreticorum decreta damnant quod Ecclesiæ adversentur; imo vero principium hoc apud omnes Patres necessario delitescit; at illud tamen Tertulliano maximæ gloriæ est, quod id altiori ac universaliori modo animo comprehenderit, magis explicaverit, evolverit, atque ita novo ac illustriori lumine collustraverit. Ipsum adeamus.

In primo operis exordio Tertullianus docet nequaquam mirandum esse plurimas hæreses in Ecclesia grassari, quibus quorundam christianorum fides labefactetur ac intereat; at vero ut iis occurratur curandum ait. Quamobrem ipse principia quibus removeantur ac refellantur hæreses omnes prodere et tueri sibi sumit; ut totius libri scopus sit, tum ut a quibusque hæreticis sibi caveant fideles præmunire, tum etiam hæreses omnino omnes *a priori* confutare.

Et vero in quo sita sit in universum hæreseos indoles, quantumque a christianæ fidei lege abhorreat, primum inquirit. Hæresis autem, ut vox ipsa innuit, *electionem* notat, adeoque inquisitionem non sinit modo, sed et præcipit; atqui id christianæ religionis indoli penitus adversatur. Sic loquitur auctor : « Hæreses dictæ græca voce ex interpretatione electionis, qua quis sive ad instituendas, sive ad suscipiendas eas utitur. Ideo sibi damnatum dixit (Paulus) hæreticum, quia et in quo damnatur sibi elegit. Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. » Cujus quidem rei rationem affert hanc : « Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quicquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt. Itaque etiamsi

angelus de cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur a nobis (1). » His verbis præclare enuntiat Tertullianus methodum institutionis et auctoritatis. Ulterius prosequitur adducendo rationem cur inquisitio ea quam venditant hæretici christiano instituto opposita sit : « Nobis, inquit, curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post evangelium (2). Cum credimus, nihil desideramus ultra credere. Hoc enim prius credimus, non esse quod ultra credere debeamus (3). »

At illa, quemadmodum et hac nostra ætate, falsi principii præsidium ex uno alterove Scripturæ textu perperam intellecto petere conabantur hæretici, atque affirmare non dubitabant inquisitionem fuisse a Christo Domino commendatam, quum dixit : *quærite et invenietis.* Ad hanc igitur, quam movebant, difficultatem aggreditur Tertullianus, et ait : « Venio itaque ad illum articulum, quem et nostri prætendunt ad ineundam curiositatem, et hæretici inculcant ad importandam scrupulositatem. Scriptum est, inquiunt, *quærite et invenietis.* Quando hanc vocem Dominus emisit, recordemur. Puto in primitiis ipsis doctrinæ suæ, cum adhuc dubitaretur apud omnes, an Christus esset, et cum adhuc nec Petrus illum Dei Filium pronuntiasset.... Merito ergo tunc dictum est; *quærite et invenietis*, quando quærendus adhuc erat, qui adhuc agnitus non erat (4). » Et porro pergit monstrando verba hæc ad Judæos fuisse a Salvatore directa, antequam in ipsum crederent.

Quod si tamen, vel invita contexta oratione, dicere volueris ea ad omnes spectare, id quidem perlibenter largietur auctor, si modo voces illas non *sine disciplina rationis* ad universam Christi religionem accommodaveris; si nempe de quærendo Christi instituto tantum eas intellexeris, ita ut, quoniam nondum credas, quæras solum donec inveneris id quod Salvator instituit : « Cedo nunc, inquit, sponte de gradu isto. Omnibus dictum sit : *quærite et invenietis;* tamen et hic expedit sensu certare cum interpretationis gubernaculo... Sed in primis hoc propono : unum utique et certum aliquid institutum esse a Christo, quod credere omnino debeant nationes, et idcirco quærere, ut possint, cum invenerint, credere. Unius porro et certi instituti infinita inquisitio non potest esse; quæren-

(1) *De præscriptione hæreticorum*, ed. Rigalt. c. 6. — *Adversus Marc.* lib. I. c. 1, Tertullianus de eo, quod hic versat, præscriptionis argumento hæc habet: « In tantum hæresis deputabitur, quod postea inducitur; in quantum veritas habebitur, quod retro et a primordio traditum est. Sed alius libellus hunc gradum sustinebit adversus hæreticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de præscriptione novitatis. » Cf. lib. IV, c. 5, lib. V, c. 19.

(2) *Evangelium* apud antiquos Patres sæpius tantum valet ac *revelatio Christi.*

(3) *Ibid.* c. 8.

(4) *Ibid.* c. 8.

dum est donec invenias, et credendum ubi inveneris, et nihil amplius nisi custodiendum quod credidisti; dum hoc insuper credas, aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum, cum id inveneris et credideris, quod ab eo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod instituit. Interim ex fiducia probationis prævenio, admonens quosdam nihil esse quærendum ultra quæ crediderunt id esse quod quærere debuerunt, ne, *quærite et invenietis*, sine disciplina rationis interpretentur (1)... Igitur quærendum est quod Christus instituit : *utique quando non invenis, utique donec invenias.* » Atqui quicumque credit, quicumque fidem habet, hoc ipso invenit, nec amplius ipsi quidquam quærendum; fides enim una cum inquisitione componi nullo pacto potest : « Invenisti autem, cum credidisti; nam non credidisses, si non invenisses (2). »

Mox autem inquisitionis hæreticorum indolem pressius attingens, ostendit eos nec fidem habere, nec idcirco christianos esse : « Cum enim, ait, quærunt adhuc, nondum tenent : cum autem nondum tenent, *nondum crediderunt, non sunt christiani* (3)..... Qui ergo nec sibi sunt christiani, quanto magis nobis (4)? »

His igitur ita constitutis de hæreseos indole, qua fit ut hæretici ne christiani quidem sint, Tertullianus jam de Scripturis, quas in sui erroris patrocinum isti advocant, disserere incipit, monstraturus deinceps Scripturas catholicorum esse, non hæreticorum, adeoque nec hos audiendos dum de Scripturis loquuntur. Hic ergo suam ex *præscriptione* ductam argumentationem versare exorditur : « Venimus, inquit, igitur ad propositum; hoc enim dirigebamus et hoc præstruebamus adlocutionis præfatione, ut jam hinc de eo congrediamur de quo adversarii provocant. Scripturas obtendunt, et hac sua audacia statim quosdam movent : in ipso vero congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Hunc igitur potissimum gradum obstruimus, *non admittendos eos ad ullam de Scripturis disputationem.* Si hæ sunt illæ vires eorum, uti eas habere possint, *dispici debet cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eam, cui nullo modo com-*

(1) Caveant quoque protestantes ne textum hunc *sine disciplina rationis* intelligant.

(2) C. 9 et 10.

(3) Hoc argumentum, quod, ut in promptu est, directo protestantes impetit, mirum in modum versat ac evolvit Bossuetus in suo *Colloquio cum Claudio* (Conférence avec le ministre Claude), copioseque demonstrat protestantes, si, quæ est eorum lex, omnia privato examine perpendere velint, primum necesse habere universam Christi religionem in dubium vocare, atque ita ab incredulitate seu infidelitate proficisci.

(4) C. 14.

petit (1). » Et vero, inquit, non est in Scripturis constituendum cum hæreticis certamen, quoniam primo, docente Apostolo, hæretici corripiendi sunt (hæreticum hominem post unam *correptionem* devita), non ad disceptandum admittendi (2); deinde « quoniam nihil proficiat congressio Scripturarum, nisi plane ut stomachi qua ineat eversionem, aut cerebri; » et tandem, quod rei caput est, quia illud est contra naturæ ordinem : « Ergo non ad Scripturas provocandum; nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut par incertæ. Nam etsi non ita evaderet conlatio Scripturarum, ut utramque partem sisteret, ORDO RERUM DESIDERABAT illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est : quibus competat fides ipsa : cujus sint Scripturæ : a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina qua fiunt christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinæ et fidei christianæ, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et omnium traditionum christianarum (3). »

Vides profecto quam perbelle hic doceat Tertullianus quis tandem *controversiarum judex* sit statuendus. Ubi ergo de peculiari quovis dogmate, quod quidem verum habeant alii, falsum alii, aliqua oborta fuerit disceptatio, nequaquam, ut volunt protestantes, ex Scripturis lis est componenda, quippe quod *rerum ordini* adversetur; is autem ordo postulat ut prius videatur *cujus sint Scripturæ*....; hoc namque præstito, nihil amplius est quod quæras, aut de vero Scripturarum intellectu disputes, invenisti enim *veritatem Scripturarum et expositionum.* Hæc, velim quoque, e mente elabi nusquam sinant theologi catholici, ubi cum hæreticis decertant, præsertim vero ubi religionis tum principia ac leges, tum dogmata peculiaria exponunt probantve; secus enim contra *rerum ordinem* agerent et ejus perturbationis pœnas interdum forsitan dare possent (4).

(1) C. 15.
(2) « L'Église, ut alicubi dixit comes J. De Maistre, n'est pas argumentatrice de sa nature. »
(3) C. 19.
(4) Probe tamen animadvertendum, sæpe, ubi cum hæreticis qui omnia e Scripturis conficere volunt nobis res est, adhiberi posse methodum illam *relativam* seu *ad hominem* dictam, quæque in eo sita est ut ex principiis adversario probatis argumenta ducas quibus ipse refellatur, nec de istorum principiorum firmitate inquirere studeas : quandoque enim accidit ut ex solis quas recipit Scripturis facili negotio, imo et brevius quam si aliam inires viam refutari possit hæreticus. Verum id cum Tertulliano semper ob oculos habeat theologus necesse est, ejusmodi methodum relativam et ad hominem tantum esse gratuitamque concessionem adversariis factam; nequaquam vero referre germanam methodi vere christianæ indolem, atque adeo non Scripturis ceu proprio suo fundamento inniti christianæ doctrinæ firmitatem. Cæterum hæc in posterum magis clara fient.

Itaque quo facilius liqueat ubi sit veritas, Tertullianus ad Apostolos et Christum usque ascendit, ut videat quid ab initio institutum fuerit, monstraturus deinde apud eos tantum quærendam veritatem qui Apostolorum successores sunt, reliquos vero, ut sua decreta venditaverint, ne audiendos quidem esse. Sic de Apostolis et de ecclesiis quæ ab his ortum traxere loquitur : « Statim igitur Apostoli .... consecuti promissam vim Spiritus sancti ad virtutes et eloquium, primo per Judæam contestata fide in Jesum Christum, et ecclesiis institutis; dehinc in orbem profecti, eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, *a quibus traducem fidei et semina doctrinæ cæteræ exinde ecclesiæ mutuatæ sunt, et quotidie mutuantur ut ecclesiæ fiant, ac per hoc et ipsæ apostolicæ deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum.* » — Quo autem pacto manifestum esse poterit hanc illamve ecclesiam recens conditam *sobolem* esse *apostolicarum ecclesiarum*, adeoque veram Christi doctrinam in ipsa inesse? Id in promptu erit, ait auctor, si modo ecclesia ista cum apostolicis per externæ communionis vincula fuerit conjuncta : « Itaque tot ac tantæ ecclesiæ una est illa ab Apostolis prima, *ex qua omnes.* Sic omnes primæ, et apostolicæ, dum una omnes probant unitatem : dum est illis communicatio pacis, et appellatio fraternitatis, et contesseratio hospitalitatis; quæ jura non alia ratio regit, quam ejusdem sacramenti (1) una traditio. » Hac ergo ratione jam *præscribitur* contra eos omnes qui cum illis ecclesiis non conjunguntur; hoc enim ipso a veritate iidem aberrent necesse est. Ita ipse : « Hinc igitur dirigimus *præscriptionem*, si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelasse Filius quam Apostolis, quos misit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic *præscribam* non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod aiunt, voce, quam per epistolas *postea.* Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis ecclesiis apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem quod ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit (2) : *omnem vero doctrinam de mendacio* PRÆJUDICANDAM, *quæ sapiat contra veritatem ecclesiarum, et Apostolorum, et Christi, et Dei.* Superest ergo uti demonstremus, an hæc nostra doctrina, cujus regulam supra edidimus (3), de Apostolorum tra-

(1) *Sacramentum* Tertulliano sæpe idem est quod doctrina christiana in universum.

(2) Hic indigitat auctor miram eam necessitudinem quæ, ut apud S. Ignatium præsertim vidimus, inter Ecclesiam, Christum et Deum intercedit.

(3) Fidei christianæ symbolum recitaverat c. 13.

ditione censeatur, et *ex hoc ipso*, an cæteræ de mendacio veniant (eo recidit tota quæstio, quam sic breviter solvit auctor) : communicamus cum ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa; hoc est testimonium veritatis (1). »

Ea itaque est religionis christianæ via ac ratio, ea lex et tessera, ut illud verum habeatur quod ab initio perpetua episcoporum serie traditum, falsum vero quidquid ab hoc dissidet : « Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum et verum, quod sit prius traditum : id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum. *Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hæreses*, quibus nulla constantia de conscientia competit ad defendendam sibi veritatem. »

At vero quandoque accidit ut hæretici, ad infaustam eam novitatis notam, quæ ideo, et ipsis judicibus, jure quidem christianis probro vertitur, quomodocumque effugiendam, ipsi suorum dogmatum vestigia vel Apostolorum ætate deprehendere studeant : et sane protestantes erroris sui semina in remotissima antiquitate occurrere non semel demonstrare contenderunt. Quid ergo iis respondendum? In hoc scilicet doctrinæ *veræ traditæ* indolem versari, ut non cujusvis hominis sit traditio, sed ecclesiæ a Christo institutæ, hoc est, episcoporum qui haud intermissa serie ex hoc ævo ad Apostolos usque ascendunt : extra hoc episcoporum institutum, qui una cum commisso sibi grege Corpus Domini sunt, nulla vera traditio, quoniam nulla divina auctoritas.

Quamobrem fidenter hæreticos compellat Tertullianus (atque ego quoque ex ipso protestantes alloquor) : « Cæterum si quæ (hæreses) audent interserere se ætati apostolicæ, ut ideo videantur ab Apostolis traditæ, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere : edant ergo origines ecclesiarum suarum : evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt : sicut Smyrnæorum ecclesia Polycarpum ab Joanne conlocatum refert : sicut Romanorum, Clementem à Petro ordinatum itidem.... confingant tale aliquid hæretici (2) ».

Quæ quum ita sint, quoniam nempe hæretici ab Apostolis nequaquam originem ducunt, non sunt admittendi ad *ineundam de Scripturis provocationem*, quippe qui christiani non sunt, et idcirco nihil in Scripturis ad ipsos pertinet : « Si hæc ita se habent, ut veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit, constat ratio propositi nostri, definientis non esse admittendos hæreticos ad ineundam

(1) C. 20, 21.
(2) C. 32.

de Scripturis provocationem, *quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere.* Si enim hæretici sunt, christiani esse non possunt, non a Christo habendo quod de sua electione sectati hæreticorum nomina admittunt. *Ita non christiani, nullum jus capiunt christianarum litterarum.* Ad quos merito dicendum est (hic potissimum et magis conceptis verbis urget suum *præscriptionis* argumentum comparationibus ductis ex bonorum temporalium possessione) : Qui estis? Quando, et unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique, Marcion, jure silvam meam cædis? Qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? Qua potestate, Apelles, limites meos commoves? Mea est possessio, quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio; olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus quorum fuit res; ergo sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe exheredaverunt semper et abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei et inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit, aut recepit (1)? »

Dubio procul hæc omnia recta et penitus protestantes impetunt, et quidem iis dicere cum Tertulliano possumus : de Scripturis nobiscum agere fas vobis esse nequit, christiani enim non estis, utpote successionis apostolicæ expertes : quid igitur de sacris christianorum litteris unquam loquimini?

Postremo orationem jam jam clausurus, hæreticorum mores et vitæ consuetudinem depingit auctor, et ea sane, quam exhibet, imago, belle in hæreticos etiam hujus nostræ ætatis quadrat. In primis notat hæretici ingenii esse Scripturas depravare et corrumpere; deinde vero hæc inter alia enarrat notatu dignissima : « Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinæ, cujus penes nos curam lenocinium vocant. Pacem quoque passim cum omnibus miscent. *Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent....* De verbi autem administratione quid dicam, cum hoc sit negotium illis, non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur; quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. » Pergit autem dicere apud hæreticos nec unitatem communionis et subjectionis externam, nec internam fidei et doctrinæ curari, sed dogmata in dies immutari, quod nempe Valentini discipulis idem fas esse debeat, quod ipsi Valentino; is autem nova condidit dogmata, cur ergo non item discipuli? Quod quidem pari jure de Luthero ac Lutheranis dixeris : « Schismata, inquit, apud hæreticos fere

(1) C. 37.

non sunt, ***quia cum sint, non parent; schisma est unitas ipsis.*** Mentior si non etiam a regulis suis variant inter se, ***dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit.*** Agnoscit naturam suam, et originis suæ morem profectus rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni (idem Lutheranis et Calvinianis quod Luthero et Calvino), de arbitrio suo fidem innovare (1).» — Sic porro tandem orationem concludit : « Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus hæreses omnes, certis, et justis, et necessariis præscriptionibus repellendas a conlatione Scripturarum (2). »

Et vero nobis quoque jam consistere liceat; quæ enim attulimus satis profecto superque sufficiunt ut nullo molimine unusquisque intelligat, primum quidem quantum a protestantium methodo Tertullianus abhorreat, deinde etiam quam plurimum incrementi ex ejus principiis rei theologicæ accedere.

§ 3.

CLEMENS ALEXANDRINUS.

Quoniam sæpius prædicare non dubitarunt protestantes, Clementem in exponenda methodo christiana ab ea, quam tuemur, sententia prorsus dissidere, ideo de hujus Patris principiis agendum satius duximus, ut videant adversarii nos fidenter ac perlibenti animo cujusque Patris doctrinam pandere, nequaquam veritos ne quispiam ex ipsis nobis unquam adversetur; ejusdem enim stirpis ac familiæ sumus omnes, patres illi, nos filii. Priusquam vero Clementis opera inspiciamus, nonnulla monenda habeo.

Primum quidem, fateor, institutionis atque auctoritatis methodum, eo modo quo S. Ignatius, Irenæus et Tertullianus fecerunt, explicatam, enucleatam et *consulto* expositam aut etiam propugnatam, frustra apud Clementem quæsieris; is enim nusquam dedita opera quæstionem de traditione et Ecclesia tractare studuit. Quam ob causam si, quod ad illud argumentum attinet, rei theologicæ commoda spectaveris, profecto Clementi præstant Irenæus et Tertullianus, quippe qui peculiari cura doctrinam hanc evolvere contenderunt; Clemens vero in aliis capitibus illustrandis occupatur. Hujus porro rei ratio multiplex afferri posset; sed, ut brevitati consulamus, unam tantum mox recensebimus ex ipso Clementis operum scopo et argumento ductam. Verum quamvis de tra-

(1) C. 41, 42, cf. c. 38.
(2) C. 45.

ditione ecclesiastica minus copiose disseruit, illud tamen quod apud superiores Patres vidimus principium crebro enuntiat et ubique sectatur: alta scilicet in mente Clementis, uti et cæterorum, illud insidebat, et sicubi fert tempus et occasio, exterius prodit et apparet. In ejus opera jam oculos conjiciamus.

Tria omnino supersunt Clementis opera, quorum unum *Cohortatio ad gentes* inscribitur, alterum *Pædagogus*, tertium tandem *Stromata* (Στρωματεις).

Prioris argumentum in eo versatur, ut gentes hortetur Clemens ad suscipiendam Christi doctrinam; inde autem facile liquet de traditione ecclesiastica eum minime ibi disserere debuisse. — Quod ad *Pædagogum* attinet, scopus ejus est tradere credentibus ea quæ ad mores rite instituendos potissimum conferunt (1). In *Stromatibus* autem pandit auctor regulas et principia quibus verus tandem *gnosticus*, seu homo vere sapiens, existat; plurima religionis capita attingit iisque philosophiæ decreta miscet.

Nuspiam ergo Clemens adversus hæreticos dedita opera disseruit, et ideo doctrinam de Ecclesia uberius explicare nusquam curavit, imo nec curare potuit. At, ut modo dicebam, plura tamen apud Clementem occurrunt quæ hac in re mentem ejus perspicue produnt. Ipsum audiamus.

Sic igitur in I lib. *Stromat.*, commemoratis iis a quibus doctrinam christianam acceperat, institutionis ac traditionis methodum ut in omnium more positam attingit ac commendat : « Sed hi veram quidem beatæ doctrinæ servabant traditionem, statim a Petro, et Jacobo, et Joanne, et Paulo, sanctis Apostolis, ita ut filius acciperet a patre ... ad nos quoque Deo volente pervenerunt, illa a majoribus data et apostolica deposituri semina (2). » — Ubique porro docet Clemens nequaquam universa religionis mysteria fuisse scripto mandata, sed plura sine litteris per successionem ab Apostolorum ætate perpetuo deinceps servari et tradi.

Imo vero norunt omnes qui Clementis Stromata pervolverunt, eum tanti facere traditionis principium, ut ex ipso suam quoque de arcana scientia doctrinam statuere contendat. Notum enim est apud Clementem persæpe mentionem injici cujusdam altioris scientiæ, quam *gnosin* appel-

(1) De difficultatibus quæ ex hoc opere a protestantibus moveri solent postea dicemus.

(2) « Αλλ' ὁι μεν την ἀληθῆ της μακαριας σωζοντες διδασκαλιας παραδοσιν, εὐθυς ἀπο Πετρου τε και Ιακωβου, Ιωαννου τε και Παυλου, των ἁγιων αποστολων, παις παρα πατρος ἐκδεχομενος... ἡκον δη συν θεῳ και εἰς ἡμας τα προγονικα ἐκεινα και αποστολικα καταθησομενοι σπερματα. » *Strom.* lib. I, p. 322-323, ed. Potter., Venetiis 1757.

lat; atqui hanc esse paucorum et doctiorum tantum inter christianos ubique prædicat, quod a Christo revelata mysteria non omnia in Scripturis occurrant, sed viva voce penes doctiores per continuam successionem asserventur et itidem tradantur; hinc fit ut qui plenius edoceri velint, ex istis mysteriorum intellectum quærere debeant (1). Quodcumque autem de hac Clementis gnosi judicium tuleris, id tamen inde confici non negaveris, ex ipsius sententia christianorum dogmatum intellectum non ex Scripturis modo, sed etiam, et quidem maxime, ex traditione esse petendum.

Verum præsertim in lib. VII mens Clementis circa Ecclesiam, Scripturas et hæresim luculenter apparet. Quum enim ex iis quæ inter christianos cernebantur sectis et hæresibus occasionem arripere solerent ethnici in dubium vocandi religionis christianæ dogmata, quod nempe alii aliter sentirent; ut hanc solveret difficultatem, Ecclesiæ ac hæreseos indolem depingit Clemens, atque ita monstrat non penes hæreticos sed penes Ecclesiam tantum esse Christi religionem. Sic itaque loquitur : « Primum ergo hoc adversus nos adducunt, dicentes non oportere credere propter dissensionem hæresium : distrahit enim nos ac defatigat etiam ipsa veritas, dum alii alia constituunt dogmata (2). » Primum quidem respondet Clemens et apud Judæos et apud philosophos hæreses aut dissensiones esse, qui ideo tamen non fatentur aut non philosophandum, aut in erratis versari judaicam religionem; præterea Christus hæreses fore prædixit, adeoque nihil illæ movere debent : « Num ergo, pergit ipse, si quis *pacta conventa non observaverit, et transgressus fuerit eam quæ fit apud nos confessionem; propter eum qui non stetit suæ professioni*, abstinebimus nos quoque a veritate? Sed ut oportet virum probum minime esse mendacem, et nihil infirmare eorum quæ pollicitus est, etiamsi aliqui alii pacta conventa transiliant : *ita nos quoque nullo modo convenit transilire regulam ecclesiasticam* (3). »

Luculenter profecto ac perbelle his paucis verbis complexus est Clemens ea omnia quæ ad christianam methodum spectant : confert namque fidem viri christiani cum pacto quodam jurato quod non amplius transilire fas est, et pactum illud agnoscit in ecclesiastica regula a christiano suscepta. Inde conficitur ex Clementis sententia nequaquam privato cujusque judicio aut examini permissa religionis dogmata, sed ea ab aucto-

(1) *Strom.* lib. I, p. 323, 324, lib. VI, p. 682 sqq., 771.

(2) *Strom.* lib. VII, c. 15, p. 886-887.

(3) « Μητι οὐν, εἰ και παραβαιη τις συνθηκαις, και τηνὁμολογιαν παρελθοι την προς ἡμας, δια τον ψευσαμενον την ὁμολογιαν, ἀφεξομεθα της ἀληθειας και ἡμεις; ἀλλ' ὡς αψευδειν χρη τον ἐπιειχῆ, και μηδεν ὡν υπεσχηται ἀκυρουν, καν ἀλλοι τινες παραβαινωσι συνθηκας· οὑτως και ἡμας κατα μὴδενα τροπον τον εκκλησιαστικον παραβαινειν προσηκει κανονα. » *Ibid.* p. 887.

ritate accipi huicque perpetuo inniti; ita ut nunquam fas esse possit doctrinam hoc modo ab Ecclesia acceptam rejicere aut in dubium vocare.

Ut autem videas ne in mentem quidem Clementis id incidere, quopiam pacto ab Ecclesiæ sensu et intellectu, a regula, quam vocat, ecclesiastica Scripturas posse unquam sejungi, audias, quæso, quemadmodum doceat hæreticos nihil pene in Scripturis intelligere, sed eas ad pravas cupiditates torquere; cujus rei rationem affert hanc, iis deesse *veritatis regulam* qua perpetuo regatur ac firmetur animus : « Necesse enim, ait, labi in maximis eos qui res maximas aggrediuntur, *nisi regulam veritatis ab ipsa veritate acceptam tenuerint* (uti Ecclesiæ filii eam a Veritate incarnata per Apostolos accepere eamdemque per continuam successionis seriem semper tenuere). Qui autem eo devenerunt, ut a recta via exciderint, merito etiam falluntur in plurimis singularibus, propterea quod non habeant verorum et falsorum judicium plane exercitatum, in iis quæ oportet eligendis. Si enim haberent, parerent Scripturis divinis (vides ex Clemente hæreticos, deficiente regula qua *judicium* formetur, quæque lapidis lydii instar habeatur, ne parere quidem Scripturis, quod et ætate hac nostra accidit. Scilicet, ut aiebat Tertullianus, christiani non sunt isti, et ideo christianarum litterarum intellectum assequi non possunt). Quemadmodum ergo si quis fiat bestia ex homine, similiter atque ii qui fuerunt infecti venenis Circes : *ita homo Dei esse, et Domino fidelis esse desiit, qui adversus ecclesiasticam recalcitravit traditionem*, et in humanarum hæreseon desiluit opiniones (1). » — Et porro ostendere pergit auctor hæreticos Scripturas depravare consuevisse, et, ubi ipsorum dogmatibus adversantur, sæpe etiam penitus rejicere, quoniam, inquit, *ecclesiasticæ cognitionis non didicerunt mysteria : « Nam cum Ecclesiasticæ cognitionis non didicerint mysteria*, neque veritatis perceperint majestatem, ut qui in perscrutando rerum profundo fuerint socordes, et superficie tenus legerint, *Scripturas valere jusserunt* (2). »

Igitur tam arcto vinculo Scripturæ cum ecclesiastica regula colligantur, ut hac amissa illæ etiam intereant necesse sit. Hinc fit, ait Clemens, ut verus gnosticus duo hæc nunquam sejungat; atque ita « servat apostolicam et ecclesiasticam dogmatum rectitudinem (3). » Hæretici

(1) « Σφαλλεσθαι γαρ αναγκη μεγιστα τους μεγιστοις ἐγχειρουντας πραγμασιν, ἥν μη τον κανονα της ἀληθειας παρ' ἀυτης λαβοντες ἐχωσι της ἀληθειας· οἱ τοιουτοι δε, ἁτε ἀποπεσοντες της ὀρθης ὁδου, και τοις πλειστοις των κατα μερος σφαλλονται· εἰκοτως, δια το μη ἐχειν ἀληθων και ψευδων κριτηριον, συγγεγυμνασμενον ἀκριβως τα δεοντα αἱρεισθαι. Εἰ γαρ ἐκεκτηντο, ταις θειαις ἐπειθοντο ἀν γραφαις.... οὑτως ἀνθρωπος εἰναι του θεου καὶ πιστος τῳ Κυριῳ διαμενειν ἀπολωλεκεν, ὁ ἀναλακτισας την εκκλησιαστικην παραδοσιν... » *Ib.* c. 16, p. 890.

(2) Μη γαρ μαθοντες τα της γνωσεως της εκκλησιαστικης μυστηρια, μηδε χωρησαντες το μεγαλειον της ἀληθειας... παρεπεμψαντο τας γραφας. » *Ib.* p. 892.

(3) P. 896.

autem, Ecclesiæ traditionem contemnentes, in errorem incidunt : « Non oportet enim unquam, sicut faciunt qui hæreses sequuntur, *adulterare veritatem*, *neque furari regulam Ecclesiæ*, propriæ cupiditati et gloriæ inserviendo in fraudem propinquorum, quos omnino ut ament veritatem atque amplectantur docere oportet (1). »

Deinde vero pressius demonstrat hæreticorum dogmata hoc ipso ut falsa esse habenda, quod ab Ecclesiæ doctrina aberrent; una enim, ait, Ecclesia est a Christo et Apostolis condita, quævis autem sectæ recentius conditæ atque ab illa aberrantes falsæ sunt et a Christo alienæ : « Qui impios ergo attingunt sermones, aliisque tradunt, neque verbis divinis recte, sed perverse utuntur, neque ipsi in regnum cœlorum ingrediuntur, neque eos, quos deceperunt, sinunt assequi veritatem. Sed nec ipsi introitus clavem habentes, sed falsam quamdam, et, ut dicit consuetudo, ἀντικλειδα, id est, aversam clavem, per quam, non relaxato velo, *ut nos ingredimur per Domini traditionem*, *sed exciso ostio*, *et muro Ecclesiæ clam perfosso* (Ecclesia scilicet janua est per quam ad veritatem patet aditus), veritatem transgredientes, efficiuntur principes ac duces mysteriorum animæ impiorum. Quod enim catholica Ecclesia posteriora sua fecerint conciliabula, non est opus multis probare (2). »

Paucis autem ex historia ostendit hæreses non ab Apostolis originem ducere, sed posteriori ætate exortas, adeoque Ecclesia posteriores esse. Quo præstito, sic prosequitur : « Quæ cum ita se habeant, clarum est ex antiquissima et verissima Ecclesia has recentiores, et quæ his sunt adhuc inferiores, tempore fuisse innovatas, adulterinæ notæ hæreses. Ex iis quæ dicta sunt manifestum esse existimo, unam esse veram Ecclesiam, eam quæ vere est antiqua, in cujus catalogum referuntur ii qui sunt justi ex proposito (3). »

Ecclesiæ vero unitatis rationem, quemadmodum S. Ignatius, ex ipsius Dei unitate repetit, pariterque in unitate fidei et doctrina unitatem hanc sitam esse docet : « Nam cum unus sit Deus et unus Dominus, propterea id etiam quod est summe venerabile, et ex eo quod sit unicum, laudatur, ut quod sit imitatio principii quod est unum. In unius ergo naturæ

(1) « Οὐ γαρ χρη ποτε καθαπερ οἱ τας ἁιρεσεις μετιοντες ποιουσι, μοιχευειν την ἀληθειαν, οὐδε μεν κλεπτειν τον κανονα της εκκλησιας κ. τ. λ. » *Ib*. p. 897.

(2) « .... Ἀλλ' οὐδε την κλειν ἐχοντες αὐτοι της εἰσοδου, ψευδῆ δε τινα ... δι' ἡς οὐ την αὐλαιαν ἀναπετασαντες, ωσπερ ἡμεις δια της του Κυριου παραδοσεως εἰσειμεν, παραθυρον δε ἀνατεμοντες, και διορυξαντες λαθρα το τειχιον της εκκλησιας, ὑπερβαινοντες την ἀληθειαν, μυσταγωγοι της των ἀσεβων ψυχης καθιστανται. Ὁτι γαρ μεταγενεστερας της Καθολικης εκκλησιας τας ἀνθρωπινας συνηλυσεις πεποιηκασιν, οὐ πολλων δεῖ λογων. » c. 17, p. 897-898.

(3) « ..,. Ἐκ των εἰρημενων ἀρα φανερον οἰμαι γεγενησθαι, μιαν εἰναι την αληθη εκκλησιαν, την τω ὀντι αρχαιαν, κ. τ. λ. » *Ib*. p. 899.

sortem cooptatur Ecclesia quæ est una, quam conantur hæreses in multas discindere. Et essentia ergo, et opinione, et principio, et excellentia, solam esse dicimus, antiquam et catholicam Ecclesiam, *in unitatem unius fidei* (1). » Et re quidem vera non nisi una Ecclesia unaque fides esse potest; « fuit enim una omnium Apostolorum sicut doctrina, ita etiam traditio (2) »; Ecclesia autem quid est aliud quam doctrina et traditio apostolica corpore induta?

Alibi hæreseos indolem internam depingens, ait hæreticos in opinione et dubio versari, nequaquam vero certitudinem assequi : « Cum sint tres animæ affectiones, ignoratio, opinio, scientia : qui in ignoratione quidem versantur, sunt gentes; qui autem in scientia, vera Ecclesia; qui vero in opinione, ii qui sectantur hæreses (3). »

Atque ex his quæ hactenus adduximus jam profecto omnibus manifestum ac apertum esse poterit quæ circa Ecclesiam et Scripturas Clementis sententia fuerit. Quod si universa allata uno mentis obtutu intueri volueris, hæc, ni fallor, fere perspexeris. Scripturas quidem ubique commendat, at eas nunquam ab ecclesiastica regula sejungit; imo vero illas cum hac ita connexas tamque indivulso vinculo colligatas sentit, ut sibi permissæ, nec recte intelligi nec etiam integre servari queant. Auctoritati autem et ecclesiasticæ traditioni eum locum eamque vim esse docet, ut nunquam ab illa deficere fas habeat, atque *a priori* ut erroris labe fœdatum respuat ac damnet quemvis ab ea aberrantem. Neque vero Ecclesiæ dogmata in dubium aut etiam examen vocare unquam licet, a vero enim ea desciscere nequit; et facili quidem negotio a qualibet hæresi vera secernitur Ecclesia; est scilicet antiqua illa societas quæ a Christo et Apostolis profecta perpetuo perseveravit : hæc autem una est, quippe quæ unam ac eamdem fidem profitetur.

Qua quum ita sint, vix operæ pretium duco in medium afferre ea quæ, nescio qua tandem arte, protestantes ex Pædagogo sibi elicere posse videntur argumenta, quibus methodum catholicam impugnent; neque enim sibi adversatur Clemens. Paulisper tamen audiamus.

Dicunt ergo Clementem in *Pædagogo* Scripturam tantum commendare, perinde ac si in ea occurrat universa ac absoluta Christi doctrina, atque, quod rei caput est, ipsum, sola Scriptura usum, doctrinam christianam numeris omnibus expletam in hoc opere tradidisse; unde confici aiunt Scripturam sibi sufficere.

(1) « .... Τη γοῦν του ἑνος φυσει συγκληρουται εκκλησια ἡ μια, ἡν εἰς πολλας κατατεμνειν βιαζονται αἱρεσεις. Κατα τε οὐν ὑποστασιν, κατα τε ἐπινοιαν, κατα τε ἀρχην, κατα τε ἐξοχην, μονην εἰναι φαμεν την ἀρχαιον και Καθολικην εκκλησιαν, εἰς ἑνοτητα πιστεως μῖας. » *Ib.*

(2) « Μια γαρ ἡ παντων γεγονε των αποστολων ὡσπερ διδασκαλια, οὑτως δε και ἡ παραδοσις. » *Ib.* p. 900.

(3) Lib. VII., c. 16, p. 894.

In hanc autem, quam dicunt, difficultatem hæc adnotasse satis sit. Primum quidem probent, velim, adversarii Clementem ibi Scripturas a regula et traditione ecclesiastica, quam ubique commendat, sejunxisse et penitus avocasse; eo enim recidit tota pene controversia catholicos inter et protestantes. Nonne, quæso, antea Clemens Christi dogmata ac instituta probe noverat? Num igitur ea, Scripturas interpretaturus, e memoria ejicere curavit? Num deinceps in Scripturis evolvendis sensum illum, quem in mente gerebat, ecclesiasticum penitus delere studuit? An ad Ecclesiæ regulam non amplius attendit? Hæc ergo solvant adversarii, si quid proficere velint.

Præterea monendum, nequaquam de universis religionis capitibus sermonem ibi habere Clementem, sed de iis, ut ante diximus, quæ ad mores informandos attinent potissimum agere; et idcirco, quemadmodum quilibet doctor catholicus fecisset, ex Scripturis adducit quam uberrima illa doctrinæ morum capita et exempla quæ in iis cernuntur. Quî autem id protestantibus præsidio esse possit quærat alius, ego enim nihil plane video. Quid igitur? An forte doctori catholico nefas esse duxeris Scripturas nocturna diurnaque manu versare, atque ex illis tum morum præcepta, tum etiam dogmata quæ vel conceptis verbis enuntiant vel implicito tantum ac subobscuriori modo innuunt, elicere et in lucem edere? Minime vero; id namque et hoc nostro ævo quotidie agunt catholici theologi, et jure quidem; *possessio* enim eorum sunt sacræ Litteræ. Sed hoc dicimus, id nec a Clemente nec a reliquis fieri unquam potuisse, nisi prius Christi doctrinam et *sensum* ecclesiasticum in mente gessissent; et idcirco cum ipso Clemente asseveramus nihil ferme ab hæreticis in Scriptura percipi posse, quod *traditione* et *regula ecclesiastica* carent. Nullus ergo Scripturarum citra traditionem et regulam ecclesiasticam usus legitimus esse potest, quoniam a loco suo avocantur atque ita a basi avulsæ velut in aera circumquaque vagantur; at ubi locum sibi proprium tenent, plurimæ profecto ex eis utilitates oriuntur et vim maximam sibi jure vindicant; quod quidem omnium Patrum et theologorum catholicorum exemplo comprobatur, quodque nos in posteriori hujus tractationis parte dedita opera sumus monstraturi.

§ 4.

S. ATHANASIUS.

Uberrimam doctrinæ segetem ex S. Athanasii operibus et agendi ratione nobis excerpere licebit; in omnibus enim tum scriptis ejus tum etiam gestis splendescit Ecclesiæ auctoritas, fulget externæ institutionis et auctoritatis via ac methodus. Notum est Athanasium inter acerrimos

Arianæ hæreseos hostes eminuisse et ita pro Ecclesiæ dogmatibus toto vitæ decursu pugnasse ac passum esse, ut merito eum totius Ecclesiæ personam in hac controversia gessisse dixeris. Hinc fit ut, si reliqui Patres doctrinæ ac sensus christianismi, et jure quidem, testes habeantur, potiori profecto et peculiari quodam jure os et vocem christianismi universi, pro ea quam potissimum sibi vindicavit provincia, Athanasium appellaveris (1). Quo vero facilius ac plenius Athanasii circa methodum doctrina perspiciatur, pauca in antecessum de Arianæ hæreseos indole sunt monenda.

In Ariana illa hæresi, quemadmodum et in alia quavis controversia sive theologica sive etiam philosophica, duo sunt distinguenda, methodus, inquam, et ipsa doctrina qua a reliquis dissidebat. Quod ad doctrinam attinet, norunt omnes in eo sitam fuisse Arianam hæresim, quod Christum tamquam creaturam haberet. Quod autem ad methodum spectat, quod unum e re nostra est, eamdem fere sectabantur Ariani quam reliqui hæretici, quamque in posterum protestantes dedita quasi opera evolverunt : quoniam nempe Ecclesiæ auctoritate victi ac damnati fuerant, refragari cœperunt, obtendentes injuria se a catholicis repelli, quod vox (ομοουσιος) qua hi usi erant in Scripturis non occurreret, nefas vero esse vocem non scripturisticam in definiendo dogmate adhibere. Itaque Ariani, quemadmodum recentiori ætate protestantes, ut errorem tuerentur, eo mox adducti fuere ut dicerent ex Scripturis tantum hauriri posse christianam doctrinam. His autem ita breviori compendio prælibatis, jam ad Athanasium convertamur.

Id porro principii loco assumit Athanasius, doctrinam a Patribus traditam necessario veram esse, quidquid autem huic adversatur hoc ipso ut falsum habendum, nec opus esse ut ulterius perpendatur.

In *Epistola de Synodis Arimini et Seleuciæ* luculenter docet christianam methodum traditionis esse, non inquisitionis aut privati examinis : si enim, inquit, vera doctrina non acciperetur, sed inquirenda foret, tolleretur fides : « Si credidissent (Ariani), nequaquam perinde sciscitati essent, quasi quid crederent non haberent (2). » Quod si Christi doctrinam inquirere nefas sit christiano, eam ergo ex auctoritatis traditione accipiat necesse est, eamque ut certo veram ab initio et deinceps semper teneat : « Quid enim, ait, doctrinæ ad piam religionem defuit Ecclesiæ catholicæ, ut nunc de fide perquirant (3)? »

(1) B. Athanasii memoriam præclare illustravit cl. Mœhler in egregio opere : *Athanase le grand et l'Église de son temps en lutte avec l'Arianisme.*

(2) « Εἰ γαρ ἐπιστευον, οὐκ ἀν ὡς μη ἐχοντες ἐζητουν. » *De Synodis Arimini et Seleuciæ celebratis*, nº 2.

(3) « Τι γαρ ἐλειπε διδασκαλιας εἰς εὐσεβειαν τῃ καθολικῃ ἐκκλησιᾳ, ἱνα νυν περι πιστεως ζητωσι; » *ib.*, nº 3.

Hanc traditionis methodum sectati Nicænæ Synodi Patres, doctrinam exposuere quam a majoribus acceperant, atque ideo in ipsa symboli fidei quod condiderunt formula, « nequaquam dixere : decretum est; sed : *sic credit Ecclesia Catholica*, *statimque confessi sunt*, *quidnam crederent*, ut declararent non recentiorem, sed apostolicam esse suam sententiam (1). » — Eam porro fuisse omnium conciliorum viam ac agendi rationem postea videbimus. — Ubi vero doctrina quædam a synodo fuit damnata, non amplius verane an falsa sit inquirendum, nefas enim est synodi auctoritatem elevare aut in dubium vocare; et idcirco supervacaneum nova deinceps concilia in hanc rem cogere : « Quis, quæso, synodorum usus, cum Nicæna sufficiat, quæ contra Arianam et alias hæreses coacta, eas omnes per sanam suam fidem *condemnavit* (2)? » Ex his procul dubio liquet ex Athanasii mente inesse in Ecclesia summam auctoritatem cujus munus sit quæ oboriuntur controversias dirimere (en igitur *judex controversiarum*), cujusque judicium ab omnibus ut *irreformabile*, ut aiunt, haberi debeat.

Quam autem ob causam Ariani synodos etiamnum congregant? Quoniam, ait Athanasius, Patrum traditiones flocci faciunt : « Hoc demum restat illis dicendum : nos majoribus nostris contradicentes, *transgredientesque Patrum traditiones*, synodum cogi postulavimus (3). » Vides igitur, christianorum indolem in eo sitam esse dicit, ut *Patrum traditiones* nusquam transgrediantur, hæreticorum vero, ut iis posthabitis sua sibi ex quocumque tandem fonte fingant dogmata : catholici institutionis auctoritatisque viam, hæretici autem judicii ac examinis privati methodum sectantur.

Quibus ita constitutis, Athanasius pergit enarrando quæ in synodis Arimini et Seleuciæ acta fuerant. Deinde vero, postquam rerum ibi gestarum historiam contexuit, has adjicit præclaras sane animadversiones, in quibus luculenter elucet summa illa qua tum ipse tum catholici omnes Patrum traditiones complectebantur observantia : « Quænam fides eorum (Arianorum) actis, si majorum solvantur acta? Aut cur Patres vocant eos quibus illi successere, quorum tamen sententiam criminantur?... Quid porro populos docebunt ab illis institutos? An errasse Patres? Qui dictis eorum fidem habebunt discipuli, quibus suadent illi

(1) « Περι δε της πιστεως ἐγραψαν, οὐχ, ἐδοξεν, αλλ', οὑτως πιστευει ἡ καθολικη εκκλησια· και ευθυς ὡμολογησαν, πως πιστευουσιν, ἱνα δειξωσιν, οτι μη νεωτερον, αλλ' ἀποστολικον ἐστιν αὐτων το φρονημα. » *Ibid.* n. 5.

(2) « Τις ἡ χρεια των συνοδων, ἀρχουσης της ἐν Νικαιᾳ γενομενης προς τε την Αρειανην και τας ἀλλας αἱρεσεις, ἁς κατεκρινε πασας δια της ὑγιαινουσης πιστεως; » *ibid.* n. 6.

(3) « ... Ἡμεις ἀντιλεγοντες τοις προ ἡμων, και παραβαινοντες τας των πατερων παραδοσεις, ἠξιωσαμεν συνοδον γενεσθαι. » *Ibid.* n. 7.

ut magistris non obtemperent? Quibus oculis intuebuntur monumenta Patrum, quos nunc vocant hæreticos? Cur Valentinianos, Cataphrygas et Manichæos insectantur, quos autem illis similia loqui arbitrantur, sanctos appellant? Quove jure episcopi erunt ipsi, si ab iis quos ut hæreticos criminantur, ordinati sunt? Quod si male senserunt illi, et scriptis suis orbem terrarum in errorem deduxerunt, cesset penitus eorum memoria : et si scripta eorum abjiciantur, ite vos ipsi et eorum reliquias ex cœmeteriis abjicite, ut omnes intelligant, illos seductores, vos parricidas esse. Certe Beatus Apostolus Corinthios laudat his verbis : *Quod per omnia mei memores estis; et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Isti autem cum talia de majoribus suis cogitent, iis plane contraria populis dicere audebunt : non vos laudamus quod Patrum memores sitis; sed potius eo vos probamus, quod eorum traditiones non retineatis (1). » Quis, quæso, hæc perlegens, non fateatur Athanasium ita traditionis methodo adhærere, ut in indignationem actus eamque amplius animo cohibere nequiens, in acerrimas tandem querimonias erumpat adversus eos qui doctrinam a Patribus acceptam criminari non vereantur!

Atque id probe animadvertas, velim, auctore Athanasio, nequaquam pro diversa qua floruerint ætate extollendam aut elevandam ac minoris æstimandam Patrum auctoritatem, *omnes enim*, ait, *Patres sunt.* Scilicet non is est Athanasius qui, quorumdam recentiorum more, varias in Ecclesiæ vita distinguat ætates, quarum aliæ puriorem, aliæ minus integram minusque incontaminatam tenerent doctrinam : verum enimvero ipse, quemadmodum et reliqui Patres omnes, Ecclesiam habet ut perpetuam ac *indefectibilem* veritatis magistram; neque id in mentem quidem ejus incidit, Ecclesiam labi aut in errore versari unquam posse. Quamobrem docet doctrinam eorum tum qui superiori, tum qui sequiori ævo vixere et Ecclesiæ personam gessere, æque veram ac integram ab omnibus Christi fidelibus esse habendam : *traditio* nunquam fallitur nec fallere potest. Quum enim asseverarent Ariani Patres inter se discrepare, quod Nicæna synodus probasset vocem ὁμοουσιος antea a concilio Antiochensi in causa Pauli Samosateni damnatam, respondet Athanasius : « Non decet illos cum his committere : omnes enim Patres sunt, neque sanctum esset definire hos probe, illos male locutos esse : omnes quippe in Christo obdormierunt (quoniam nempe in Ecclesiæ fide mortui sunt). Disceptandum porro non est, neque numerus conferendus virorum qui coacti sunt, ne videantur trecenti illi pauciores obscurare; *neque tempora metienda sunt, ne qui præcessere subsequentes exauctorare putentur. Omnes enim*, ut supra dictum est, *Patres sunt* (2). » — Et n. 47 eamdem causam

(1) *Ibid.* n. 13, 14.

(2) « Συγκρουειν μεν γαρ τουτους προς ἐκεινους ἀπρεπες· παντες γαρ εἰσι πατερες· διακρινειν δε παλιν, ὡς οὗτοι μεν καλως, ἐκεινοι δε τοὐναντιον εἰρηκασιν,

itidem agens, ait : « Par est enim decetque nos ita sentire, probumque erga Patres animum servare, si tamen spurii non sumus, *et si ab illis traditiones pietatisque doctrinam tenemus.* » — Sane non potuisset Athanasius verbis magis perspicuis viam traditionis enuntiare ac tueri.

Eadem principia passim apud Athanasium occurrunt, maxime vero in libro *De Decretis Nicænæ synodi.* Quoniam autem ex hactenus allatis aperta ac manifesta jam cuique videri debet Athanasii doctrina, pauca tantum ex hoc libro adducam loca, ea deinde excitaturus ac velut e regione positurus quæ alibi tum de Ecclesia tum de hæresi edixit effata.

Istius tractationis exordio Arianos carpit eosque cum judæis comparat quod dicerent : « Quare qui Nicææ convenerunt, *vocabula non scripta*, nempe *ex substantia* et *consubstantiale* scripsere (1)? » Enarrans autem quid in Nicæna synodo erga Eusebianos actum sit, sic traditionis methodum in hac circa ea quæ fidei erant secutam obiter pandit : « Itaque episcopi, vocabulis quæ illi (Eusebiani) commenti erant rescissis, sanam et *ecclesiasticam fidem adversus illos exposuere*... Imo, quod mirum est, ipse Eusebius Cæsareæ in Palæstina episcopus, qui pridie restiterat, postea subscripsit, *hancque Ecclesiæ fidem et Patrum traditionem esse*, missis ad suam ecclesiam litteris, significavit (2). » Summam autem auctoritatem, qua in doctrinis judicandis et in errore damnando pollet Ecclesia, commemorat Nicæni decreti adversus Arianos formam referens : « Hinc illa voce (ομοουσιος) scripta, statim Patres subjungunt : his vero qui dicunt Filium Dei ex nihilo sive ex non existentibus esse, vel creatum, vel mutabilem, vel factum, vel ex alia substantia, *anathema dicit sancta et catholica Ecclesia* (3). » Nonne hic igitur agnoscis indolem virorum qui sanæ doctrinæ magistri et custodes integerrimi fuerunt a Deo constituti, quique muneris sibi concrediti memores eoque nixi, citra ullum errandi periculi dubium, a christiana societate resecant eos omnes qui dogmata a suis aliena tuentur?

Et porro commemoratis pluribus Patribus qui antea eamdem quam definiverat Nicæna synodus tradiderant sententiam, addit Athanasius :

οὐχ ὁσιον· οἱ παντες γαρ ἐκοιμηθησαν ἐν Χριστῳ. Οὐ χρη δε φιλονεικειν, οὐδε των συνελθοντων τον ἀριθμον συμβαλλειν, ἱνα μη δοκωσιν οἱ τριακοσιοι τους ἐλαττονας ἐπικρυπτειν· οὐδ' ἀν παλιν τον χρονον ἀναμετρειν, ἱνα μη δοκωσιν οἱ προλαβοντες ἀφανιζειν τους μετα ταυτα γενομενους. Οἱ παντες γαρ... πατερες εἰσι. » *Ibid*. n. 43.

(1) *De Decretis Nicænæ synodi*, n. 1.

(2) « Οἱ τοινυν ἐπισκοποι... οὑτως ἐξεθεντο κατ' ἀυτων την ὑγιαινουσαν και ἐκκλησιαστικην πιστιν... και το γε παραδοξον, Ευσεβιος... ὁμως ὑστερον ὑπογραφας, ἐπεστειλε τῃ εκκλησιᾳ ἑαυτου, λεγων ταυτην εἰναι της ἐκκλησιας την πιστιν, και των πατερων την παραδοσιν. » *Ibid*. n. 3.

(3) « .... Τουτους ἀναθεματιζει ἡ ἁγια και καθολικη ἐκκλησια. » *Ibid* n. 20.

« En igitur, nos quidem hanc sententiam a Patribus ad Patres transisse demonstramus : vos vero, o novi Judæi et Caiphæ discipuli, quos Patres qui vestris voculis faverint exhibere potestis (1)? »

Nunc autem restat ut ea quæ in aliis operibus circa illud quod versamus argumentum docuit auctor leviter attingamus. Ecclesiam porro habet tamquam christianorum societatem episcopos duces ac magistros sectantium, atque istius societatis tam arctam cum Christo necessitudinem affirmat, ut qui ab illa dissideat ne christianus quidem dici possit. Sic in Epist. ad Serapionem ait : « Verumtamen haud ab re fuerit veterem insuper traditionem, *doctrinamque ac fidem catholicæ Ecclesiæ* investigare, quam scilicet Dominus tradidit, Apostoli prædicavere, et *Patres servavere.* In ea enim Ecclesia fundata est (vera doctrina ab Ecclesia sejungi nequit), a qua si quis exciderit, is nec esse nec amplius dici christianus ulla ratione poterit (2). »

Quoniam igitur Ecclesiæ doctrinam ceu ipsius Christi habet, ideo persæpe de alienis dogmatibus ait : « Ea non est christianorum fides, hæc non est Ecclesiæ doctrina (3). » — In Psal. vero 88 verba hæc, *Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo*, illustrans dicit : « Thronum Christi intellige Ecclesiam; *in illa quippe requiescit.* Erit igitur, inquit, Ecclesia Christi fulgens et illuminans orbem, *manensque in æternum sicut sol et luna* (4). » Ecclesia ergo deficere nequit, quoniam Christus in ea manet eamque divinæ suæ virtutis participem efficit. Sic et alibi ait : « Nisi enim Dominus ædificaverit domum, et custodierit civitatem, frustra laborant ædificantes, et vigilant custodientes. Itaque quæ quidem Judæorum erant, penitus sunt dissoluta, quippe cum non nisi umbra essent : *firmata autem est Ecclesia, utpote quæ in petra fundata est; neque portæ inferi adversus eam prævalebunt* (5). » Profecto ex his omnibus plane conficitur Ecclesiam, auctore Athanasio, nulla ætate posse quopiam errore fœdari, sed in perpetuum permansuram eamque puram semper ac illibatam Christi sponsam.

Scripturas multis laudibus celebrat, plurimasque ex his percipi utilitates sæpius affirmat; at idem tamen hac in re sentit quod reliqui Patres, quodque dedita opera tam præclare evolvit Tertullianus; censet,

(1) *Ibid.* n. 27.

(2) *Epist. I ad Serap.*, n. 28.

(3) Cf. *Orat. I contra Arianos*, n. 36, 38.

(4) « Θρονον Χριστου ἐννοει την ἐκκλησιαν· ἐπαναπαυεται γαρ ἀυτῃ. Ἐσται οὐν, φησιν, ἡ ἐκκλησια Χριστου καταστραπτουσα και φωτιζουσα ὑπ' οὐρανον, και μενουσα διηνεκως ὡς ὁ ἡλιος και ἡ σεληνη. »

(5) « ... Τα τοινυν των Ιουδαιων λελυται· σκια γαρ ην· τα δε της ἐκκλησιας ἡδρασται· τεθεμελιωται γαρ ἐπι την πετραν, και πυλαι ᾁδου οὐ κατισχυσουσιν αὐτης. » *Orat. II contra Arianos*, n. 4.

inquam, illas esse ***christianorum possessionem***, et ab iis tantum intelligi quorum mentem ac sensum christianum formavit Ecclesia (1). Scripturæ autem nusquam ab Ecclesiæ doctrina discrepare possunt, quippe quæ ab eodem fonte profectæ sunt; et idcirco ubi doctrinam ab Ecclesia traditam ex Scripturis oppugnare moliuntur hæretici, eorum interpretationes ***a priori*** rejicit ac damnat Athanasius, illosque cum diabolo comparat, qui, inquit, « verba Scripturarum usurpare solet, ut illis quodammodo obtectus, suum venenum possit facilius spargere simplicesque circumvenire (2). »

Hæretici porro christiani non sunt, nec christiani appellantur; sed nomen ejus gerunt quem sunt secuti. Itaque Marcionis discipuli Marcionitæ, Valentini Valentiniani, Arii vero Ariani dicti fuere; idem de Lutheranis et Calvinianis... jure dixeris. Hoc argumentum copiose evolvit Athanasius initio *Orationis II contra Arianos*, atque hæc de Arianis habet : « Sic igitur etiam postquam beatæ memoriæ Alexander Arium ejecit, hi qui cum Alexandro perstiterunt, christiani, ut antea, dicti sunt; qui autem cum Ario recesserunt, Salvatoris nomen nobis, qui cum Alexandro remansimus, reliquerunt, et illi jam inde Ariani sunt appellati. Hinc ergo qui item post Alexandri mortem cum Athanasio ejus successore et aliis quibuscum ipse communicat, communicant ***(en signa unitatis externa)***, eamdem illi retinent formam, neque aliqui inter eos nomine ejus insigniuntur, neque ipse illorum, sed omnes rursus et consueto more christiani vocantur. » Cujus quidem rei rationem hanc adducit : « Tametsi enim magistrorum successores habemus, quorum efficimur discipuli (obiter hic animadverte quemadmodum institutionis et auctoritatis methodum ita exponat Athanasius, ut ne de alia quidem cogitare videatur) : tamen quia ea, quæ sunt Christi, nos illi docent, christiani nihilominus et sumus et dicimur. At qui sequuntur hæreticos, innumerabiles licet successores habuerint, ejus semper nomine, qui hæresis INVENTOR fuit, appellabuntur (3). » Et vero causa cur sui auctoris nomine donentur hæretici in promptu est, quoniam nempe novi quid ac proprii *invenit* et excogitavit hæresiarcha, non autem antiquum fidei depositum tradidit.

Profecto si hæc perpenderis atque ad Lutherum et Calvinum accommodare volueris, quî illa in ipsos perbelle quadrare non fatearis ego plane non video. Verum Athanasium jam mittamus necesse est; ad Basilium properamus.

(1) Cf. *De Incarnat.* n. 56, 57; *Orat. IV contra Arianos*, n. 34.

(2) *Orat. I contra Arianos*, n. 8. Cf. *Epist. encycl. ad Episc. Egypti et Libyæ*, n. 4.

(3) *Orat. I contra Arianos*, n. 3; cf. n. 2, 4.

§ 5.

S. BASILIUS, CÆSAREÆ CAPPADOCIÆ EPISCOPUS.

Quæstionem de traditione et Ecclesia S. Basilius nuspiam dedita opera pertractare studuit; at ut de Clemente Alexandrino verba faciens monebam, quæ in mente insculpta gerebat principia catholica sæpius, data occasione, prodit ac tuetur. Quoniam autem in suæ causæ patrocinium protestantes aliquando eum advocare non dubitarunt, ideo de ipso præ aliis dicere constituimus.

Quum vero occasionem potissimum nactus est Basilius sua de eo quod agimus argumento principia pandere in libro quem *De Spiritu sancto* conscripsit, in hoc ferme opere stare poterimus. Ad hunc igitur tractatum lustrandum mox aggrediamur.

Quæ fuerit istius libri origo, ita aperit ipse Basilius : « Nuper precanti mihi cum populo, et utroque modo glorificationem absolventi Deo ac Patri, interdum *cum Filio una cum sancto Spiritu*, interdum *per Filium in sancto Spiritu*, quidam ex iis qui aderant, crimen intenderunt, dicentes nos non modo peregrinis ac novis uti vocibus, verum etiam inter se pugnantibus. Tu (1) porro... postulasti quampiam dilucidam doctrinam de vi harum syllabarum evulgari. Jam igitur nobis breviter dicendum est (2). »

Ii autem quos hic respicit auctor Anomæi erant, qui Spiritus sancti divinitatem impugnantes, aiebant immerito ac injuria a Basilio in doxologia usurpari particulam *cum* (Spiritu) loco *in* (Spiritu); hanc enim mutationem ex Scripturis probari non posse dicebant; quin etiam id Patrum traditioni adversari interdum clamitabant, quanquam plerumque, contemptis traditionibus, ad Scripturas tantum confugerent.

Quocirca eos irridens ac damnans quod a Scripturis solum ductas probationes acciperent, luculenter itidem catholicam methodum institutionis et auctoritatis tuetur Basilius. Sic hæreticorum indolem et communem scopum depingit : « Cæterum quod id oppugnatur, fides est, isque scopus communis est omnibus adversariis et sanæ doctrinæ inimicis, ut soliditatem fidei in Christum concutiant, *apostolicam traditionem solo æquatam abolendo*. Eapropter, sicut solent qui *bonæ fidei* (3) debitores sunt, *probationes e Scriptura clamore exigunt*, *Patrum testimonium, quod scriptum non est, velut nullius momenti rejicientes* (4). »

(1) S. Amphilochius, Iconii episcopus, ad quem liber ille directus est.

(2) *De Spiritu sancto*, c. 1, n. 3.

(3) Per ironiam dictum.

(4) « Πιστις δε έστι το πολεμουμενον, και κοινος σκοπος άπασι τοις έναντιοις και έχθροις της ύγιαινουσης διδασκαλιας, το στερεωμα της είς Χριστον πιστεως

Hoc autem modo traditionis viam describit et commendat, docens fas non esse doctrinam prius acceptam aliquando deserere : « Christiani unde nos? Per fidem, dicet quilibet. Salvi autem fimus, quo modo? Nimirum regenerati per gratiam quæ confertur in baptismo. Nam unde alioqui? Ergone postquam hanc salutem per Patrem et Filium et Spiritum sanctum ratam ac firmatam noverimus, *traditam nobis doctrinæ formam abjiciemus?* Id profecto multis dignum suspiriis fuerit, si comperiamur nunc longius abesse a salute nostra, quam tum cum credidimus, *si quæ tum recepimus, nunc abnegamus.* Par et æquale damnum est, sive quis baptismatis expers decedat de vita, sive recipiat baptisma cui unum aliquod eorum quæ tradita sunt desit. Et quisquis professionem quam in prima institutione deposuimus... in omni tempore non servat, nec eam, quasi tutissimum præsidium per totam vitam suam complectitur, seipsum alienum reddit a promissis Dei, suo ipsius chirographo repugnans, quod in professione fidei deposuit (1). » Igitur fidem quam didicit, quam in baptismo accepit ac professus est christianus, nullo unquam pacto abjicere potest; qui vero eam in perpetuum integram ac illibatam haud servaverit, hoc ipso se damnavit atque regno Dei exclusit.

At postquam prolixiorem de vi ac sensu particulæ *in* absolvit disputationem, ad syllabam *cum* tractandam aggreditur inquisiturus « unde cœperit, et quam vim habeat, et quomodo Scripturæ concordet. » Prius tamen generalia christianæ methodi principia ac leges enarranda statuendaque ducit, et ideo pauca de traditionibus attingit. Ipsum audiamus.

« Ex asservatis, inquit, in Ecclesia dogmatibus et prædicationibus, alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, *alia vero nobis in mysterio tradita recepimus et traditione Apostolorum : quorum utraque vim eamdem habent ad pietatem; nec iis quisquam contradicet : nullus certe, qui vel tenui experientia noverit quæ sint Ecclesiæ instituta.* Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tamquam haud multum habentes momenti aggrediamur rejicere, imprudentes *Evangelium in ipsis rebus præcipuis lædemus,* imo potius prædicationem ad nudum nomen contrahemus (2). » Hæc sane perspicua sunt nec ulla egent qua evolvantur

κατασεισαι, ἐκ του την ἀποστολικην παραδοσιν ἐδαφισθεισαν ἀφανισθηναι. Δια τουτο, ὡς των χρεωφειλετων οἱ δηθεν ευγνωμονες, τας εκ των ἐγγραφων ἀποδειξεις ἐπιβοωνται, την ἀγραφον των πατερων μαρτυριαν ὡς ουδενος ἀξιαν ἀποπεμπομενοι. » *Ibid.* c. 10, n. 25.

(1) « .... Εἰτα την σωτηριαν ταυτην, δια πατρος... βεβαιουμενην γνωρισαντες, ὸν παρελαβομεν τυπον διδαχης προησομεθα; ἢ μεγαλων ἀν εἰη στεναγμων ἀξιον.... εἰπερ ἁ τοτε προσεδεξαμεθα, νυν ἀπαρνουμεθα.... την τε ὁμολογιαν ἡν ἐπι της πρωτης εἰσαγωγης κατεθεμεθα ... ὁ μη ἐπι παντος φυλασσων καιρου... ξενον ἑαυτον καθιστησι των ἐπαγγελιων του θεου κ. τ. λ. » *Ibid.* n. 26.

(2) « Των ἐν τῃ ἐκκλησιᾳ πεφυλαγμενων δογματων και κηρυγματων, τα μεν ἐκ

illustrenturve oratione; ad eumdem enim modum de iis quæ sine scripto tradita fuere loquitur Basilius ac ipsa Tridentina synodus. Rem autem tam apertam, omnium calculis tam probatam effert, ut nullus, inquit, contradicere possit *qui vel tenui experientia noverit quæ sint Ecclesiæ instituta*. Rationem porro, cur quædam citra scriptum tradita sint hanc esse ait : « Ne dogmatum notitia neglecta propter assuetudinem vulgo veniret in contemptum. » Atque ita quidem prosequitur : « Aliud utique est dogma, aliud prædicatio. Nam dogmata silentur, prædicationes vero publicantur (1). Est autem silentii species etiam *obscuritas qua utitur Scriptura*, intellectu difficilem reddens dogmatum sententiam, idque ad legentium utilitatem (2). »

Postquam vero plurima recensuit religionis capita citra scriptum accepta et omnibus comprobata, ait : « Deficiet me dies, si Ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere. Omitto cætera : ipsam fidei professionem in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, e quibus habemus scriptis? Etenim si quoniam ex baptismi traditione, juxta pietatis consequutionem, ut baptizamur, ita et credere debemus, similem baptismo professionem exhibemus; concedat etiam nobis, ut juxta eamdem consequentiam glorificationem fidei consimilem persolvamus. Quod si glorificandi modum veluti scripto non traditum reji-

της ἐγγραφου διδασκαλιας ἐχομεν, τα δε ἐκ της των ἀποστολων παραδοσεως διαδοθεντα ἡμιν ἐν μυστηριῳ παρεδεξαμεθα· απερ αμφοτερα την αυτην ἰσχυν εχει προς την ευσεβειαν. Και τουτοις οὐδεις ἀντερει, οὐκουν ὁς τις γε κατα μικρον γουν θεσμων ἐκκλησιαστικων πεπειραται. Εἰ γαρ ἐπιχειρησαμεν τα ἀγραφα των ἐθων ὡς μη μεγαλην ἐχοντα την δυναμιν παραιτεισθαι, λαθοιμεν αν εἰς αὐτα τα καιρια ζημιουντες το εὐαγγελιον· μαλλον δε εἰς ὀνομα ψιλον περιιστωντες το κηρυγμα. » *Ibid.* c. 27, n. 66.

(1) « 'Αλλο γαρ δογμα και αλλο κηρυγμα· τα μεν γαρ δογματα σιωπαται, τα δε κηρυγματα δημοσιευεται. » Basilius hic dogma distinguit a prædicatione (δογμα et κηρυγμα); quæ distinctio apud alios quoque Patres occurrit. Porro κηρυγμα Basilio est illa doctrinæ christianæ pars quæ vulgo et coram omnibus, etiam infidelibus, prædicabatur, quæque in moribus formandis potissimum versabatur; δογμα autem vocat ea religionis capita quæ fidelibus tantum arcano tradebantur; et vero ex *dogmatibus* alia arcaniora erant non cuivis fideli promiscue data, sed electis viris solummodo commissa. Rem istam universam ita pandit Eulogius Alexandrinus : « τα μεν δογματα μετ' ἐπικρυψεως και σοφιας ἀπαγγελλεται, και την ἀσαφειαν πολλακις ἐξεπιτηδες περιβαλλεται, ὡς ἀν μη βεβηλοις ειεν τα ἁγια ἐκθετα, και οἱ μαργαριται τοις χοιροις προκειμενοι. Τα δε κηρυγματα χωρις τινος ἐπικρυψεως απαγγελλεται, και μαλιστα ὁσα εἰς λογον ἐντολων και θειου φοβου συντηρεσιν αναφερεται· εἰναι δε και των δογματων ἐτι τινα μυστικωτερα, ἁ παντελως (ὡς το ἐπος φαναι) σεσιγηται, ἐκεινοις δε μονοις παραδεδοται οἱς δια λογου ζωντος ἐχουσι πνευματικην σοφιαν πιστοις ταυτα παρατιθεται. » Ap. Phot. cod. CCXXX.

(2) *Ibid.* n. 66.

ciunt, proferant nobis et professionis fidei et cæterorum quæ commemoravimus probationem e Scripturis (1). »

Eadem ratione adversus hæreticos principium traditionis urget c. 29: « Sane, inquit, contra id quod dicunt, glorificationem *cum Spiritu* carere testimonio, nec in Scripturis exstare, illud dicimus : si nihil aliud est receptum absque Scripturis, ne hoc quidem recipiatur : sin plurima arcana citra scriptum recepta sunt nobis, cum aliis pluribus et hoc recipiemus. *Arbitror autem apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere.* Laudo enim, inquit, vos, quod omnia mea meministis, et quemadmodum tradidi vobis, traditiones tenetis. Et illud : Tenete traditiones quas accepistis sive per sermonem, sive per epistolam (2). »

Procul dubio ex hactenus allatis liquet quæ fuerit de methodo catholica Basilii sententia; constat jam quantopere a protestantium regula recedat. Verum ut quæ adduximus rite intelligantur, nonnulla hic nobis monenda videntur.

Primum quidem probe tenenda est ea quam supra dedimus distinctio *traditionem* inter et *traditiones* : traditionem nempe dicimus viam hanc institutionis, magisterii, prædicationis et auctoritatis, qua tandem proprie constat catholica methodus; traditiones vero sunt dogmata aliave religionis capita quæ in sacris litteris non occurrunt. Porro nemo non videt fieri omnino potuisse ut varia illa capita, viva tantum voce tradita, Scripturis divinitus inspiratis mandata fuissent; quæritur ergo hic *de facto*, utrum necne ea omnia scripta fuerint? Basilius autem cum cæteris Patribus testatur (idque jam ante ex ipsius novi Testamenti indole constituimus) nequaquam omnia scripto fuisse ab Apostolis aut eorum discipulis prodita. Sed age jam, quid si universa religionis christianæ capita Scripturis continerentur? Ideone, quæso, inutilis evaderet *traditio?* Minime vero; traditio enim, quæ idem est ac publica Ecclesiæ prædicatio, tum *traditiones*, tum Scripturas ipsas complectitur, has æque ac illas conservat et fidelibus *tradit*, earumque sensum aperit ac definit. Atque in eo vertitur cardo controversiæ quæ catholicos inter et protestantes agitur.

Et vero voces *traditio*, *tradita dogmata*, sæpius apud Patres tantum-

(1) « Ἐπιλείψει με ἡ ἡμερα, τα ἀγραφα της ἐκκλησιας μυστηρια διηγουμενον. Εῶ τ' ἀλλα· ἀυτην δε την ὁμολογιαν της πιστεως εἰς πατερα και ὑιον και ἁγιον πνευμα, ἐκ ποιων γραμματων ἐχομεν; ..... εἰ δε τον τροπον της δοξολογιας ὡς ἀγραφον παραιτουνται, δοτωσαν ἡμιν της τε κατα την πιστιν ὁμολογιας.. . ἐγγραφους τας ἀποδειξεις. » *Ibid.* n. 67.

(2) « ... Εἰ μεν μηδεν ἑτερον αγραφον, μηδε τουτο παραδεχθητω· εἰ δε τα πλειστα των μυστικων ἀγραφως ἡμιν ἐμπολιτευεται, μετα πολλων των ἑτερων και τουτο παραδεξομεθα. Ἀποστολικον δε οιμαι, και το ταις ἀγραφοις παραδοσεσι παραμενειν, κ. τ. λ. » c. 29, n. 1.

dem valent ac *doctrina Ecclesiæ*, sive scripta sive non scripta fuerit : ubi autem peculiari ratione de *traditionibus* loquuntur, uti hic Basilius, nuspiam eas a traditione viva Ecclesiæ sejungunt, sed tamquam ipsius Ecclesiæ doctrinam habent. Inde conficitur Patres, sicubi traditiones commemorant ac tuentur, hoc ipso auctoritatis methodum commendare ac propugnare.

Et porro haud multum mihi interesse videtur an majoris minorisve momenti capita inter traditiones referant; id autem potissimum interest, ex eorum argumentandi ratione consequi ab ipsis Ecclesiam haberi tamquam veritatis magistram et custodem integerrimam; ideo enim aiunt pari reverentia suscipienda esse universa quæ in Ecclesia traduntur, sive scripta sive non scripta ea fuerint.

Quibus observatis, quædam adhuc ex Basilii scriptis depromamus quæ traditionis viam maxime commendant.

In opere quod adversus Eunomium conscripsit præclarum occurrit istius methodi testimonium. Quum enim Eunomius in catholicos jocaretur, quasi « ex multitudine verum a falso secernerent, majori parti tributa palma ac priorum agmini concessa victoria, aures posterioribus obturarent »; sic a sancto doctore refellitur : « Quid dicis? Palmam ne demus antiquioribus? Ne revereamur multitudinem christianorum, neque eorum qui nunc sunt, neque eorum qui fuerunt, ex quo prædicatum est Evangelium?... Magna profecto foret tua potentia, si quæ multiplici suo artificio diabolus consequutus non est, ea tibi solo imperio assequi contingeret : si videlicet persuasu ac inductu tuo traditionem, quæ per præteritum omne tempus apud tot sanctos obtinuit, impio vestro commento postponeremus (1). » Inde perspicimus ex Basilii mente omnia diaboli artificia in excitandis hæresibus eo spectare, ut apostolicam traditionem, quam Ecclesia veluti sacrum depositum custodit, penitus convellat; novit enim ipse vim ac pretium traditionis, nec eum fugit, hac neglecta, brevi de universa Christi religione actum iri.

Quocirca Basilius alibi hæresum originem ex Patrum contemptu repetit : « Nonnulli sunt, inquit, qui cum Patres et tradita ab eis dogmata fastidiant, ipsi hæresum cupiunt esse auctores (2). » Alio autem loco sic paucis verbis luculenter ac præclare contrahit totam catholicæ

(1) « Τι λεγεις; μη νειμωμεν το πλεον τοις προλαβουσι; .... μεγαλης μεν τ' ἀν εἰης της δυναστειας ἐπειλημμενος, εἰπερ ὧν ταις ποικιλαις ἑαυτου μεθοδειαις ὁ διαβολος οὐκ ἐπετυχε, τουτων σοι τυχειν ἐξ ἐπεταγματος περιεσται· ἐαν περ πεισθεντες σοι, την ἐν παντι παρελθοντι χρονῳ ὑπο τοσουτων ἁγιων κεκρατηκυιαν παραδοσιν ἀτιμοτεραν κρινωμεν της δυσσεβους ὑμων ἐπινοιας. » *Adversus Eunomium* lib. I, n. 3.

(2) « Εἰσι τινες οἱ καταχολουθειν τοις πατρασι, και τοις παρ' ἀυτων παραδεδομενοις δογμασιν ἀπαξιουντες, ἀυτοι καταρχειν αἱρεσεων ἐπιθυμουσι. » *Commentar. in Esaiam*, c. X.

methodi œconomiam : « At, ne separes, ait, a Patre et Filio Spiritum sanctum, *absterreat te traditio. Sic Dominus docuit, prædicavere Apostoli, Patres conservavere, confirmavere martyres* (1). »

Atque hic quidem, quod ad Basilium attinet, finem orationi facere possemus; plane enim ex dictis conficitur ex sancti doctoris sententia et dogmata non scripta exstare, et traditionis atque auctoritatis methodum unice veram et legitimam esse.

Quoniam tamen protestantes (2) verba quædam apud Basilium sibi deprehendere videntur ex quibus consequatur unam Scripturam ut fidei fontem ac regulam esse habendam, ideo paulisper perpendenda hæc, quam dicunt, difficultas.

Is est autem quem tantopere venditant Basilii locus : « Criminantur, inquit, quod unam bonitatem, et unam potentiam et unam divinitatem dicamus. Neque id extra veritatem : dicimus enim. Sed criminando objiciunt, non sic suam habere consuetudinem, nec Scripturam assentiri. Quid igitur ad hoc quoque nos? Non putamus æquum esse, ut vigentem apud ipsos consuetudinem, rectæ doctrinæ legem et normam ducamus. Etenim si valet ad rectæ doctrinæ demonstrationem consuetudo, licet et nobis profecto usitatum apud nos morem opponere. Quod si hunc illi rejiciunt, neque nobis prorsus illos sequi necesse. *Itaque Scriptura divinitus inspirata nobis sit arbitra; et apud quos inventa fuerint dogmata divinis verbis consona, ad eos accedet omnino veritatis suffragium* (3). »

Res ergo in promptu est, inquiunt adversarii, Basilius traditionem rejicit et uni Scripturæ fidem habendam esse judicat.

Ego vero ab iis quæro qua tandem ratione ex hoc loco reapse conficiatur, sancto doctore teste, *in universum* explodi ac damnari tum traditiones, tum præsertim traditionem? De casu enim peculiari ibidem sane sermo est. Rogo etiam an forte Basilius hac in quæstione, quæ de Spiritus sancti divinitate erat, non potuerit Scripturam judicem et arbitram constituere, quin ideo traditionis methodum respueret? Id namque probent necesse est adversarii ut aliquid proficiant; alioqui stat sententia quam supra demonstravimus. At, ut opinor, nihil horum unquam efficere poterunt. Quid igitur? Nimirum consuetudini ecclesiæ Cæsariensis, cujus episcopus erat Basilius, unam in personis divinis bonitatem unamque potentiam prædicantis, contrariam ecclesiæ suæ consuetudinem opponebant Pneumatomachi : in hac autem consuetudinum varietate, quandoquidem adversarii Cæsariensis ecclesiæ morem flocci facerent, quid

(1) « Αλλα μη χωρισης πατρος και ὑιου το πνευμα το ἁγιον, δυσωπειτω σε ἡ παραδοσις. Ὁ κυριος οὑτως ἐδιδαξεν, ἀποστολοι ἐκηρυξαν, πατερες διετηρησαν, μαρτυρες ἐβεβαιωσαν » *Homil.* XXIV, n. 6.

(2) Cf. Scultetus, *Medul. Theol.* part. 4.

(3) *Epist.* 189, n. 3.

mirum si ad Scripturam, omnibus probatam, provocaverit Basilius; maxime vero quum ibidem in formula baptismi tam perspicue tradatur ea quam tuebatur sententia? Suo ergo jure usus est sanctus doctor, uti persæpe fecerunt alii theologi catholici; nequaquam autem traditionis principium convellere voluit.

Quod si tamen locum hunc aliave similia, quæ ab orationis serie avocant, nobis adversari dictitare pergerent protestantes, ad suum sensum quoque trahere studeant, velim, quæ supra exposuimus Basilii principia: seu potius expungant penitusque deleant oportet universa quæ cum in integra fere de Spiritu sancto tractatione, tum alibi sæpe sine ulla ambiguitate docuit ac propugnavit. Et vero, ut hoc obiter dicam, peculiari et nova sane argumentandi ratione in interpretandis Patribus mihi uti videntur adversarii: neque enim, ut postulat logica, ex locis perspicuis, ubi regulæ ac principia traduntur generalia, lucem petunt ad illustrandos textus quosdam singulares aut subobscuriores (qui tamen perspicui fiunt ubi a principiis alibi statutis non divelluntur); sed contra ex his lumen quærere solent ad illa explananda, seu verius tenebras ut tandem universa caligine obvolvant. Caveant autem ne ob ejusmodi artificium jure merito filii tenebrarum appellentur. Ad alia pergamus.

§ 6.

S. CYPRIANUS, CARTHAGINENSIS EPISCOPUS.

Doctrinæ S. Cypriani expositionem ideo in hunc locum distulimus, quod ipse, in eo quod versamus argumento, græcis Patribus Athanasio et Basilio multum præstat. Dedita enim opera et summa ingenii vi et acie quæstionem de traditionis via ac methodo, seu de Ecclesiæ auctoritate evolvit atque illustravit; ita ut doctrina ab omnibus hactenus propugnata, ab aliquibus autem egregie jam adornata, a Cypriano pluribus amplificata atque ad perfectiorem pressioremque formam fuerit revocata. Quapropter locum præcipuum sibi vindicat inclytus martyr inter præstantissimos qui huic argumento dilucidando exornandove incubuere theologos.

Quum autem peculiarem de Ecclesia tractationem edidit, ex hac tantum quæ tuebatur principia eliciemus. At pauca in antecessum de doctrina quam circa christianæ religionis indolem passim enuntiat sunt notanda.

Christi religionem Cyprianus habet tamquam divinum institutum quo homines lapsi ad Deum ab ipso Deo reducantur atque ita cum suo auctore arctissimo quodam vinculo conjungantur. Ad hunc scopum assequendum Verbum carnem induit, atque in terris conversatum Ecclesiam condidit, quæ ipsius personam inter homines in perpetuum gereret, et quacum ad hunc modum ipse semper colligaretur, ut qui Ecclesiæ filius, is pariter et Christi foret, adeoque et ipsius Dei. Quemadmodum igitur apud S.

Ignatium vidimus, cujus imaginem hac in re quam maxime refert sanctus doctor, ita apud Cyprianum occurrit et evolvitur mira illa necessitudo et colligatio inter Deum Patrem, Christum et Ecclesiam, ex qua efficitur ut nemo Dei particeps esse queat quin simul cum Christo et Ecclesia consentiat. Totius Christi religionis *finis* quidem est conjunctio cum Deo; at Ecclesia a Christo instituta *medium* est quo finem hunc homines consequi debeant : qui Ecclesiæ filius est, is etiam Dei filius est; qui vero Ecclesiam matrem non habet, is nec Deum patrem habere potest.

His porro prænotatis, tractatum *De Unitate Ecclesiæ* jam cominus inspiciamus.

In hoc libro veritatem et salutem in unitate fidei et doctrinæ sitas esse demonstrat doctor egregius; unitatis autem fundamentum et centrum sedis Romanæ cathedram constituit. Superiori quidem ætate alii Patres jam Romanæ Ecclesiæ primatum commemoraverant, illumque ab initio christianus orbis agnoverat; at nemo tamen dedita opera universa quæ ad Ecclesiæ unitatem spectant hactenus ad primatus Romanæ cathedræ unitatem revocaverat. Quamobrem hic verus cernitur theologiæ profectus.

Tractationem exorsurus monet Cyprianus dæmonem, quoniam videbat « idola derelicta et per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitasse novam fraudem, ut sub ipso christiani nominis titulo fallat incautos. Hæreses, ait, invenit et schismata, quibus subverteret fidem, veritatem corrumperet, scinderet unitatem. Quos detinere non potest in viæ veteris cæcitate circumscribit et decipit novi itineris errore (1). » Qua autem ratione homines decipiantur et salutem amittant hæreses et schismata sectando, mox dicturus est auctor, simul monstraturus viam planam sane ac breviorem qua periculum omne vitari certo possit : « Hoc eo fit (fides scilicet amittitur), fratres dilectissimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magistri cœlestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. »

Quæ vero sit hæc tam facilis probatio qua citra argumenta et *retractatum doctrinæ*, ut alicubi dixit Tertullianus, vera fides ab errore tuto secerni possit, ad hunc modum pandit Cyprianus : « Loquitur Dominus ad Petrum : ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quæ ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlis; et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit : pasce oves meas. *Super illum unum ædificat Ecclesiam suam*, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potes-

(1) *De Unitate Ecclesiæ*, opp. ed. Baluzii, Parisiis, 1726, p. 194.

tatem tribuat ..... *tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* Hoc erant utique et cæteri Apostoli quod fuit et Petrus, pari consortio prædili et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, et *primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur.... Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur et resistit, qui cathedram Petri, super quem fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit* (1)? »

Hæc profecto perspicua sunt : qui Ecclesiæ unitatem non tenet, fidem veram habere nequit; et porro Ecclesiæ unitatem tenere atque in Ecclesia esse non potest, qui cathedram Petri deserit. Romanæ ergo sedis cathedra, en tandem veritatis criterion, en veræ fidei lapis lydius.

Quæ quum ita sint, omni sane studio fovenda est Ecclesiæ unitas; quod quidem munus ad episcopos potissimum spectat, ut sic, inquit sanctus martyr, « *episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum* probent. » Unam Christi Ecclesiam cum sole comparat, cujus multi quidem radii, at lumen unum; cum arbore, cujus multi rami, sed robur unum; et cum uno fonte ex quo plurimi rivi defluunt : « Avelle, inquit, radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur... Unum .. caput est, et origo una, et una mater fœcunditatis successibus copiosa. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. » — An autem unquam a veritate aberrare possit Ecclesia? Minime vero; sponsa nempe Christi est, et integerrima quidem, fidem fallere nescia : « Adulterare non potest sponsa Christi; incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit (2). »

Qui igitur ab ea discedit, is a Christo quoque deficit, nec amplius quopiam pacto Dei filius nominari potest; adulteræ enim jungitur, extra Dei familiam versatur, adeoque christianus non est, sed profanus homo : « Quisquis ab Ecclesia segregatus *adulteræ jungitur*, a promissis Ecclesiæ separatur. *Nec perveniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est. Habere jam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* » — Vides quam indivulso nexu Ecclesia cum Christo et Deo sit conjuncta? Qui ergo ab Ecclesia recessit, a Deo alienus est, salutem consequi non potest : « Si potuit evadere quisquam qui extra arcam Noë fuit, et qui extra Ecclesiam foris fuerit evadit (3). »

(1) *Ibid.* p. 195.
(2) *Ibid.* p. 195.
(3) *Ibid.* p. 195.

Inde hoc effatum, *extra Ecclesiam non est salus;* quod quidem variis modis expressum apud Patres omnes occurrit, at illud peculiari cura exposuit ac evolvit Cyprianus. Ideo autem tanto molimine illud exagitare et convellere studuerunt protestantes plurimi, quod christianismi atque ipsius veri indolem non sunt assecuti.

Quoniam vero falli nequit Ecclesia, cum Christo autem et Deo penitus conglutinata in perpetuum permanet, nulla unquam ratione fas esse potest unitatem scindere : scissio hæc a regno Dei excludit et immane scelus semper existimanda est, Deum quippe ipsum recta impetit : « Hanc unitatem qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem. » Et porro Ecclesiam cum Christi tunica quæ indivisa perseveravit conferens, ait : « Sacramento vestis et signo declaravit Ecclesiæ unitatem. Quis ergo sic est sceleratus et perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat *scindi posse aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi?* Monet ipse in Evangelio suo et docet dicens : et erit unus grex et unus pastor. Et esse posse uno in loco aliquis existimat aut multos pastores aut plures greges (1)? » Nullo sane pacto fieri potest ut plures pastores aut greges dominici exstent : qui ergo hanc externam quæ in omnium oculos incurrit unitatem scindere non veretur, is hæreticus est et a Deo alienus : « Hæreses ... fiunt, dum perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. »

Hæreticorum autem indolem sic uberius depingit : « Hi sunt qui se ultro apud temerarios convenas *sine divina dispositione præficiunt*, qui se præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumunt (2). » Quum enim Ecclesiam a Deo constitutam deseruerint, quidquid deinceps agere moliuntur, *divina dispositione* caret, adeoque vim nullam assequi potest. Nec, prosequitur sanctus doctor, in sceleris patrocinium advocare conentur illa Domini verba : ubicumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum, quandoquidem ipsi, utpote a Christo avulsi, nequaquam in *nomine* ejus congregari possint : « Quomodo autem potest ei (Christo) cum aliquo convenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ et cum universa fraternitate non convenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo et ab ejus Evangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi a nobis recesserunt. Et cum hæreses et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt (3). » Vides quemadmodum ex Cypriani doctrina hoc ipso quod ab Ecclesia recesserunt homines, a Christo quoque

(1) *Ibid.* p. 196.
(2) *Ibid.* p. 197.
(3) *Ibid.* p. 198.

et Evangelio defecerint, nec ulla ratione opus esse eorum dogmata ac vitæ institutum perpendere; atque id quidem, ut jam vidimus, perpetuo prædicat auctor. Hac autem doctrina nixus, pergit exponere, quod jam supra attigerat, irrita esse quæcumque in re religiosa iidem peragere nituntur, hæreseos vero schismatisve maculam nec sanguine ablui, quoniam nempe Christus longe ab ipsis abest : « Quam sibi pacem promittunt inimici fratrum? Quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli sacerdotum? An *secum esse Christum*, cum collecti fuerint, opinantur *qui extra Christi Ecclesiam* colliguntur? Tales etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur... Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est. Ad regnum pervenire non poterit, qui eam quæ regnatura est derelinquit.... Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei unanimes noluerunt. Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœnæ perfidia, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest (1). » Hæc procul dubio concinne æque ac perspicue dicta sunt, nec unquam majori vi ac lumine illustratum est illud quod supra commemorabamus effatum: *extra Ecclesiam non est salus.*

Quæ quum ita sint, Cyprianus enixe hortatur fideles ut quam maxima cura hæreticos tanquam *contagium mortis* fugiant; atque hac occasione iterum argumentum illud de indivulsa Ecclesiæ, Christi et Dei societate præclare versat ac evolvit : « Aversandus est, inquit, talis atque fugiendus quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Perversus est hujusmodi et peccat, et est a semetipso damnatus. *An esse sibi cum Christo videtur qui adversus sacerdotes Christi facit, qui se a cleri ejus et plebis societate secernit?* Arma ille contra Ecclesiam portat; contra Dei dispositionem repugnat. Hostis altaris, adversus sacrificium Christi rebellis, pro fide perfidus, pro religione sacrilegus, inobsequens servus, filius impius, frater inimicus, contemptis episcopis, et Dei sacerdotibus derelictis, constituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, dominicæ hostiæ veritatem per falsa sacrificia profanare, nec scire quoniam *qui contra ordinationem Dei nititur*, ob temeritatis audaciam divina animadversione punitur (2). » Et porro plura exempla e veteri Fœdere ducta affert quibus ostendat quæ perhorrenda supplicia maneant eos qui *contra ordinationem Dei niti* haud vereantur.

Tandem tractationem jam jam clausurus, quæ hactenus de Ecclesiæ unitate copiosius explicaverat principia resumit, atque ita paucis quidem, sed perinsignibus sane verbis contrahit : « Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et fides una, et plebs una in solidam corporis

(1) *Ibid.* p. 198-199.
(2) *Ibid.* p. 200.

unitatem concordiæ glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari, divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid a matrice discesserit, seorsum vivere et spirare non poterit, substantiam salutis amittit (1). »

Hic autem et nos consistamus oportet. Quod si nunc quæ in hoc libro pandit ac mira ingenii acie evolvit Cyprianus rite perpenderis, mecum fateberis præclarum profecto et numeris pene omnibus absolutum esse hunc de Ecclesia tractatum, plurimumque ex eo rem theologicam incrementi cepisse.

Quæ quum ita se habeant, quis non miretur protestantes malæ causæ præsidium apud hunc ipsum Cyprianum quæsivisse! Id quidem adeo mihi portentosum videtur, ut talia in protestantium scriptis perlegens vix oculis fidere queam. Quid igitur tandem illud est quod aliqua ratione traditionis atque auctoritatis methodo opponi possit? En, optime lector, formidandam adversariorum argumentationem : in ea quæ Cyprianum inter ac Stephanum Romanum Pontificem de baptismo ab hæreticis collato oborta fuerat controversia, quum Cypriano objiceretur consuetudo ac traditio, respondit humanam hanc esse traditionem nec ei ullo pacto standum. Inde confici aiunt ex sancti doctoris mente *« omnem evangelicam et apostolicam traditionem esse quærendam in Evangeliis, Actis aut Epistolis, omniaque illa quæ non possunt in his libris reperiri rejicienda et contemnenda esse* (2). Præclara profecto argumentandi ratio! In quodam singulari casu quamdam traditionem singularem, quam humanam, non ab Apostolis ductam censebat, recipere recusat Cyprianus; ergo ipsum traditionis principium ac regulam in universum rejicit! Hæc est tandem protestantium logica, quæ certe Aristotelicæ haud favet. Scilicet nusquam queruntur Cyprianus, nec Firmilianus, qui cum eo sentiebat, quod Stephanus traditionem ut fidei regulam opponat; fatentur hanc traditionem de baptismo hæreticorum non iterando observandam esse, si ab Apostolis orta sit, sed ortam negant ab Apostolis; quin etiam, objectæ traditioni aliam opponit Cyprianus (3). Nihil igitur protestantium causam juvat hæc disceptatio. Imo vero, non modo non juvat, sed penitus convellit, et perincommode quidem controversiam hanc in medium advocant. Quid enim? Nonne ex ea quam maxime liquet, adeo necesse esse, Cypriano judice, cum *Ecclesia* in omnibus consentire et conjungi, ut ne baptisma quidem eorum qui extra Ecclesiam versantur ad salutem valere possit? Hic ergo tantum abest ut ea quæ ante ex ipsius ore audivimus principia explodere

(1) *Ibid.* p. 202.

(2) Simon Goulartius in notis ad epist. LXXIV.

(3) Cf. præfatio quam Prudentius Maranus præfecit editioni Baluz., § VI, p. XVII.

velit, ut contra illa plus æquo amplificet et exaggeret. Verum de his hactenus satis nos disseruisse putamus; ad Augustinum progrediamur.

§ 7.

S. AUGUSTINUS, HIPPONENSIS EPISCOPUS.

Quoniam inter Patres omnes summa ingenii vi et acie eminet S. Augustinus, quoniamque sæpius quæstionem de auctoritate et Ecclesia adversus hæreticos dimicans pertractare debuit, ideo operæ pretium erit in ejus doctrina exponenda paulo diutius immorari; plurimæ enim utilitates ad scientiam theologicam promovendam ex eo elici possunt; et uberrimus quidem hic cernitur controversiæ profectus.

Antequam ad Patres exponendos aggrediremur, monuimus non theologica modo, sed etiam philosophica alia esse quibus comprobetur Ecclesiæ auctoritas argumenta. Hactenus autem id tantum fere apud Patres vidimus, ab eis tamquam *factum* asseverari ac propugnari institutionis et auctoritatis methodum, et eam quandoque ad ordinem systematicum vel ad theorias revocari; nunquam vero ejusdem convenientiam aut etiam necessitatem constituere studuerunt. At ulterius progressus est Augustinus. Argumentis enim vere philosophicis, ductis nempe ex ipsius naturæ legibus, auctoritatis necessitatem tum in universa vitæ consuetudine, tum præsertim in re religiosa probare ac demonstrare contendit : id autem pro ea qua pollebat mentis virtute præclare perfecit. Quamobrem hac potissimum ratione demonstrationi catholicæ multum ex Augustino incrementi accedere debet.

Porro argumenta illa, de quibus loquimur, philosophica maxime in libris quos adversus Manichæos exaravit sunt quærenda. Et ratio quidem in promptu est. Notum est enim Manichæos, non secus ac Rationalistas hodiernos, fidem et auctoritatem ludibrio habuisse, scientiamque perfectam in rebus divinis venditare et polliceri solitos fuisse; quæ quidem pollicitatio ipsum Augustinum juniorem deceperat. Ut autem fidei contemptum ac irrisiones istorum rationalistarum refelleret, eo sæpius adductus est, ut perpenderet utrum adeo naturæ ac rationis humanæ legibus adversetur auctoritas, an contra cum iis apprime consentiat. Quid porro hac in re præstiterit mox dicturi sumus. Prius de ejus circa Ecclesiam principiis theologicis sermo habendus est, ubi tamen hic illic etiam occurrent principia philosophica.

Primum exordium ducimus ab exponenda doctrina quæ obviam fit in eo quem *Contra Epistolam fundamenti* conscripsit libro. Quamquam autem ibi potissimum suo exemplo leges et regulas doceat quibus theo-

logus polemicus in *defendenda* contra adversarios Ecclesia dirigi possit, adeoque minus e re nostra id esse videatur, quoniam tamen ibidem sua pandit de auctoritatis via principia, quoniamque simul Ecclesiæ dotes ac notas præcipuas tradit, ideo argumentationis ejus filum ac seriem sumus persecuturi. Disputationis methodus quam ibi sectatur Augustinus *defensiva* dici potest (1).

Sic porro ad disceptationem cum Manichæis aggreditur, postulans ut lex ea ab illis probetur, nempe ut Manichæo nomen non ante det quam ipsi hujus sectæ veritatem perspicue demonstraverint : « Illud, ait, concedite, ut vos tamquam incognitos nunc primum audiam, nunc primum discutiam. Justum puto esse quod postulo : hac sane lege observata, ut vobiscum non orem (2), non conventicula celebrem, Manichæi nomen accipiam, si non mihi de omnibus rebus ad salutem animæ pertinentibus sine ulla caligine rationem perspicuam dederitis (3). » Cujus quidem rei rationem affert hanc, plurima eademque gravissima esse momenta quibus in Ecclesia catholica teneatur : hæc autem recensendo, inter præcipuas Ecclesiæ notas commemorat Romanorum præsertim Pontificum successionem haud intermissam. Ita loquitur : « In catholica enim Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spiritales in hac vita perveniunt.... ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse catholica non creditis, multa sunt alia quæ in ejus gremio me justissime teneant. Tenet consensio populorum atque gentium : tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata : *tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum :* tenet postremo ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere (quod hic enarrat Augustinus itidem hac etiam ætate cernitur). Ista ergo tot et tanta nominis christiani charissima (4) vincula recte hominem tenent credentem in catholica Ecclesia, etiamsi propter nostræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum veritas nondum se apertissime ostendat. Apud vos autem,

(1) Veronius, vir sane in controversiis cum hæreticis versatissimus, multum hanc methodum commendat, eamque copiosius evolvit, regulas et leges ejus ab Augustino eliciens. Vid. *Méthodes de traiter des controverses de religion* par Fr. Véron. Paris 1638, I part., traité I, ch. 3.

(2) « Disons le même, notat Veronius, aux Calvinistes, Luthériens, Protestants, Anglais et autres » loc. cit.

(3) *Contra epist. Manichæi, quam vocant fundamenti, liber unus,* n. 4.

(4) Duo MSS. legunt *clarissima.*

ubi nihil horum est quod me invitet ac teneat (idem ad protestantes dicere non dubitamus), sola personat veritatis pollicitatio, quæ quidem si tam manifesta monstratur, ut in dubium venire non possit, præponenda est omnibus illis rebus, quibus in catholica teneor. Si autem tantummodo promittitur et non exhibetur, nemo me movebit ab ea fide quæ animum meum tot et tantis nexibus christianæ religioni adstringit (1). » Profecto ex hac tota pericopa, ubi mirum in modum notas Ecclesiæ externas commemorat illustratque, plane conficitur, Augustino judice, nequaquam ex Scripturis cujusque judicio permissis veritatem esse petendam, sed Ecclesiam ab ipso haberi tamquam institutum quoddam divinum a quo veram Domini doctrinam quivis christianus accipere debeat : ab hac enim sententia profectus, rationes enarrare studet quibus firmetur Ecclesiæ auctoritas. Imo ex hoc argumentandi modo liquet christianos omnes, quorum hic personam adversus Manichæos fingit egregius doctor, in ea semper persuasione versari, ut credant se nullo errandi periculo religionis dogmata ab Ecclesiæ magisterio suscipere.

His autem ita constitutis, inquirit Augustinus quæ tandem sint rationum momenta quibus innixi suæ sectæ veritatem perspicue demonstrent Manichæi. *Epistola* porro *fundamenti*, quæ continet fere omnia quæ ipsi credebant, « Sic incipit : *Manichæus Apostolus Jesu Christi providentia Dei Patris. Hæc sunt salubria verba, de perenni ac vivo fonte.* » Atqui, sic argumentatur sanctus doctor, *defensionis* tantum viam secutus : « Non credo istum esse Apostolum Christi (idem de Luthero et reliquis dogmata aliena ab iis quæ ante ipsos tenebantur prædicantibus dicere poteris).... Quæro ergo qui sit iste Manichæus? Respondebitis, Apostolus Christi. Non credo : quid jam dicas aut facias non habebis : promittebas enim scientiam veritatis, et nunc quod nescio cogis ut credam (2). » Quid igitur in his angustiis Manichæis agendum? Quid vero protestantibus? Par enim est utrinque ratio, si cum illis mota fuerit controversia. Procul dubio ad Scripturas appellent necesse est, et maxime quidem protestantes, quippe qui has ut unicam veritatis normam habent. Audiamus ergo quid ad hoc respondeat Augustinus, et quemadmodum hanc evadendi viam præcludat : « Evangelium, inquit, mihi fortasse lecturus es, et inde Manichæi personam tentabis asserere (id profecto agerent protestantes ad sua dogmata comprobanda). Si ergo invenires aliquem, qui Evangelio nondum credit, quid faceres dicenti tibi : non credo? *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas* (3). *Quibus ergo obtemperavi dicentibus : crede Evangelio; cur*

(1) *Ib.* n. 5.
(2) *Ib.* n. 6.
(3) Verba hæc mire angunt protestantes, et ea quidem in varios sensus detor-

eis non obtemperarem dicentibus mihi : noli credere Manichæo? Elige quod velis. Si dixeris, crede Catholicis : ipsi me monent ut nullam fidem accommodem vobis; quapropter non possum, illis credens, nisi tibi non credere. Si dixeris : noli catholicis credere; non recte facies per Evangelium me cogere ad Manichæi fidem, quia ipsi Evangelio catholicis prædicantibus credidi. Si autem dixeris : recte credidisti catholicis laudantibus Evangelium, sed non recte illis credidisti vituperantibus Manichæum; usque adeo me stultum putas, ut nulla reddita ratione quod vis credam, quod non vis non credam? Multo enim justius atque cautius facio, si catholicis quoniam semel credidi, ad te non transeo (1). »

Varia autem ratione pergit versando illustrandoque illud effatum, a quo veluti a principio profectus est, se non crediturum *Evangelio* nisi commoveret Ecclesiæ auctoritas; illud vero ad universam Scripturam accommodandum ipse edocet. Sic namque prosequitur : « Sed absit ut ego Evangelio non credam. Illi enim credens, non invenio quomodo possim etiam tibi credere. Apostolorum enim nomina, quæ ibi leguntur, non inter se continent nomen Manichæi. In locum autem traditoris Christi quis successerit, in Apostolorum actibus legimus : *cui libro necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas* (2). » Deinceps porro singulatim refellere Manichæorum commenta nititur, quæ omnia extra argumentum quod agimus vagantur.

At ex hactenus allatis liquido constat quæ sit Augustini sententia de via ac ratione qua Christi religio tradi et conservari debeat. Concinne ac perspicue edocet universa quæ religionis sunt pari observantia a magisterio illo quod Deus instituit seu ab Ecclesia catholica accipienda esse : « *Quibus ergo, ait, obtemperavi dicentibus, crede Evangelio; cur eis non obtemperarem dicentibus mihi, noli credere Manichæos?* » In hoc uno commate peracute profecto ac perbelle contrahitur tota institutionis et auctoritatis methodus : quid enim aliud hic pandit Augustinus nisi illud quod tuemur principium, ab Ecclesiæ auctoritate omnia accipienda eidemque in omnibus obtemperandum? Quod autem ad Scripturam præsertim spectat, tantum abest ut eam tamquam solum fontem et unicam creden-

quere studuerunt (Cff. Luther. *opp.* t. I, p. 294; Calvin. *Instit. Christ.* I, 7.), at incassum prorsus; manifestiora enim sunt quam ut sensus qui ipsis inest ulla ratione dubius effici queat. Ego vero, ut dicam quod sentio, haud intelligo cur in his verbis misere torquendis tantopere desudaverint adversarii; non enim hic solum, sed ubique principium quod pseudo-reformationi fundamenti instar posuere damnat Augustinus. Quin etiam, ut ante vidimus, Patres omnes regulam eorum penitus rejiciunt : proinde non hunc modo locum, sed et singulas fere Patrum omnium paginas lacerare debuissent.

(1) N. 6.

(2) N. 6.

dorum regulam habeat, ut contra illam ab Ecclesia ita pendere asseveret, ut hac deficiente illi ne crederet quidem (1).

Eadem principia passim apud Augustinum occurrunt. In *Prologo* istius præclarissimi quem edidit *De doctrina christiana* tractatus plura attingit quæ institutionis atque auctoritatis viam ut naturæ humanæ legibus optime accommodatam tum commendant, tum etiam recta impetunt protestantes omnia a quovis christiano sibi ex Scripturis elicienda statuentes. Id autem ibi principii loco assumit, Deo sic disponente, hominem nequaquam sibi permittendum, sed *ab homine docendum esse;* cujus principii rationem hanc præclaram sane ac vere philosophicam affert inclytus doctor : « Et poterant utique omnia per angelum fieri, *sed abjecta esset humana conditio si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur....* Deinde *ipsa caritas, quæ sibi invicem homines nodo unitatis adstringit, non haberet aditum refundendorum et quasi miscendorum sibimet animorum, si homines nihil discerent* (2). » Quæ hic breviori compendio præclare aperit acutissimus philosophus principia, in posteriori hujus operis parte copiosius sumus explicaturi, eademque ad auctoritatem quam Christus instituit ex ipso Augustino accommodaturi : nunc autem quid protestantibus, si sibi constarent, agendum foret, ex eodem doctore paulisper audiamus.

Primum quidem, quo facilius institutionis necessitatem circa ea quæ religionis sunt statuat, exorditur enarrando hominem quemvis nihil penitus citra aliorum institutionem primitus nosse : « Concedant, inquit, necesse est (qui se Scripturas sanctas sine duce homine gaudent nosse) unumquemque nostrum et ab ineunte pueritia consuetudine audiendi linguam suam didicisse, et aliam aliquam vel græcam vel hebræam vel quamlibet cæterarum, aut similiter audiendo, aut per hominem præceptorem accepisse. » En factum testatissimum, quod a nemine in dubium vocari potest : en naturæ via, en naturæ lex; quam si quis e mente elabi sinens, constituere haud veritus fuerit quemque sibi permittendum, illum ita alloquitur Augustinus : « Jam ergo, si placet, moneamus omnes fratres, ne parvulos suos ista doceant, quia momento uno temporis adveniente Spiritu sancto, repleti Apostoli omnium gentium linguis locuti sunt; aut cui talia non provenerint, non se arbitretur esse christianum, aut Spiritum sanctum accepisse se dubitet. Immo vero et quod per hominem discendum est, sine superbia discat; et per quem docetur alius, sine superbia et sine invidia tradat quod accepit (sic servabitur via quam Auctor naturæ Deus hominibus tenendam constituit) : neque tentemus

(1) Et vero postea in enarranda principii protestantium historia dogmatica videbimus, avulsa Ecclesiæ auctoritate, brevi de ipsis Scripturis inter theologos sibi magis constantes actum fuisse.

(2) *De doctrina christiana*, *Prolog.*, n. 6.

eum cui credidimus, ne talibus inimici versutiis et perversitate decepti, ad ipsum quoque audiendum Evangelium atque discendum nolimus ire in ecclesias, aut codicem legere, aut legentem prædicantemque hominem audire, et expectemus rapi usque in tertium cœlum... et ibi videre Dominum Jesum Christum, et ab illo potius quam ab hominibus audire Evangelium (1). » Et re quidem vera, ut absona ac portentosa hæc sint, ea tamen a quibusdam sectis protestantium in praxim adducta fuere; quin etiam et hac ætate similia cernuntur apud aliquos pseudoreformationis ramusculos. Notum est Quackeros, privatæ, quam jactant protestantes, inspirationis principio nixos, *Evangelium ipsum*, ut ait Augustinus, tamquam inutile rejecisse. Quæ igitur præsentiebat acutissimus actor, reapse apud recentiores hæreticos accidisse conspicimus.

Quod autem paulo post adjicit, recta itidem protestantes ferit. Ad hunc nempe modum loquitur de eo qui solo Deo duce Scripturas se intelligere gloriatur : « Sed cum legit, et nullo sibi hominum exponente intelligit, cur ipse aliis affectat exponere, ac non potius eos remittit Deo, ut ipsi quoque non per hominem, sed illo intus docente intelligant (2)? » Et quidem haud assequor ego, cur Lutherus, Calvinus et eorum discipuli, examinis atque inspirationis privatæ semel constituto principio, Scripturas exponere easque populum edocere perrexerint; imo vero, ut rectius dicam, a religionis et naturæ legibus usque adeo abhorret protestantismi regula, ut nec ipse initio semet intellexerit; id autem postea uberius sumus monstraturi.

Quæ quum ita sint, monet Augustinus christianos ne in hujusmodi tentationes periculosissimas se abduci sinant, variaque exempla e Scripturis ducta affert quibus ostendat Deum hominem per hominem docere consuevisse.

His autem generalibus principiis ita in antecessum constitutis, aggreditur tandem ad exponendas leges quas in interpretandis Scripturis vir christianus, adeoque Christi dogmata jam edoctus, perpetuo ob oculos habere debeat; hæc vero ad institutum nostrum non spectant. Ad alia ergo Augustini opera progrediamur.

Extat liber vulgo *De unitate Ecclesiæ* dictus, quem adversus Donatistas scripsit Augustinus, atque ex eo quidem argumenta, quibus methodum auctoritatis catholicam convellerent, elicere sæpius nisi sunt protestantes. Necesse est igitur ut, pro scopo quem nobis constituimus, ad severioris trutinæ normam tractationis hujus argumentum exigamus. At, ut statim dicam quid sentiam, adversarii, quibus nunquam de Patribus sermo foret instituendus, quippe qui, quod jam vidimus, horum filii non sunt, perincommode omnino librum illum suæ causæ testem advocant.

(1) *Ibid.* n. 5.
(2) N. 8.

Quod ut cuivis illico pateat, ejus argumentum atque argumentationis seriem paulisper advertisse satis fuerit. Quid ergo? Catholicos inter et Donatistas controversia hæc agebatur, a quibus partibus staret vera Christi Ecclesia? Donatistæ aiebant penes se solos veram esse Ecclesiam, adeoque hanc in arctissimum sane orbis angulum sese recepisse; hoc autem commentum hic explodere contendit Augustinus. Quod si ad id attendere volueris, jam, ni fallor, fatearis oportet tantum abesse ut protestantismus inde aliquid quo suam causam tueatur arripere queat, ut contra vel ex solo argumento quod ibidem agitur plane refellatur. Utrinque enim de vera Ecclesia atque auctoritatis summæ existentia conveniebat, alii vero hic, illic alii eam esse dicebant. Quomodocumque igitur Ecclesiæ veritas statuatur, *a priori* repellitur protestantismus, qui non Ecclesiæ sed sibimet ipsi quemvis christianum in interpretanda Scriptura seu discenda religione permittendum esse docet. Sic porro auctor quæstionem, quam in hoc libro versaturus est, in principio definit : « Quæstio certe inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, an apud illos. Quæ utique una est, quam majores nostri catholicam nominarunt, ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est..... Hæc autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit, *pro corpore ejus, quæ est Ecclesia.* Unde utique manifestum est, eum qui non est in membris Christi, christianam salutem habere non posse... Inter nos autem et Donatistas quæstio est, ubi sit hoc corpus, id est, ubi sit Ecclesia (1). » Vides totam disputationem ad quæstionem de Ecclesia revocari, communionem vero cum Ecclesia ita necessariam haberi, ut Augustino judice salutem consequi nequeat is qui cum Ecclesia non consentit. Sed quo tandem modo quæstionem hanc solverit Augustinus inquirendum restat.

Commemoratis quamplurimis criminationibus, quas, ut schisma tuerentur, catholicis objicere solebant Donatistæ, constituit primum nequaquam hujusmodi artibus probari posse quæ vera, quæ falsa sit Ecclesia; quin etiam nec opus esse perpendere jurene an injuria istorum criminum catholici arguerentur, sed id quærendum modo, num reapse apud Donatistas, an apud catholicos sit vera Christi Ecclesia; hac quippe quæstione confecta, nihil amplius ambigendum ait, sed ibi tantum veritatem ac salutem fore, ubi reperta fuerit Ecclesia. Porro Donatistæ, quemadmodum et catholici, Scripturas suscipiebant easque ceu ipsius Dei vocem venerabantur. Quapropter, ut eis morem gereret, statuit Augustinus e Scripturarum testimoniis apertis et perspicuis finiendam controversiam : « Non audiamus, inquit, hæc dicis, hæc dico; sed audiamus, hæc dicit Dominus. Sunt certe libri Dominici, *quorum auctoritati*

(1) *De unitate Ecclesiæ liber unus*, n. 2.

utrique consentimus, utrique cedimus, utrique servimus : ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram (1). »

Et quidem sine ullo fere negotio e Scriptura solvi poterat quæstio; quum enim, uti notum est, clamitantibus Donatistis, in arctissimo terrarum angulo quasi abscondita latitasset Ecclesia, satis erat innumera prope ea tum veteris tum novi Testamenti loca excitare ubi Ecclesia in orbem universum diffundenda dicitur : quod optime præstitit egregius doctor.

Priusquam vero Scripturarum testimonia in medium adducat, hæc præclare disserit de indivulso prorsus vinculo quo Christus et Ecclesia inter se jungantur : « Totus Christus caput et corpus est. Caput unigenitus Dei filius, et corpus ejus Ecclesia, sponsus et sponsa, duo in carne una. Quicumque de ipso capite ab Scripturis sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis inveniantur in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicumque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, *et unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia; quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt* (2). » Proinde Christus et Ecclesia sejungi nulla ratione possunt; *sunt duo in carne una*, quique ab Ecclesia dissentit, is a Christo quoque deficiat necesse est.

Quæ quum ita se habeant, liquido sane constat id quod superius aiebam, ibidem constituta principia a protestantium methodo penitus abhorrere. At, quantumcunque illud verum ac indubitatum fuerit, probe tamen animadvertendum est hic ab Augustino disputationis viam *relativam*, non *absolutam* iniri. In hoc scilicet libro non docet leges ac regulas quas in Ecclesiæ demonstratione vere methodica sectari oporteat, quasque tum sæpius alibi, tum etiam in tractatu *Contra Epistolam fundamenti* tradidit; sed, quod crebro adversus hæreticos disputantes fecere theologi catholici, ex utrinque concessis argumentatur, ut tanto brevius Ecclesiæ catholicæ veritatem demonstret. Ea quidem argumentandi methodus emolliendis aut etiam convincendis hæreticorum animis quandoque accommodatior esse poterit; qui tamen eam adhibere voluerit theologus, id præ oculis semper habeat, vim tantum relativam ei inesse, adeoque ad generalia christianismi principia rite exponenda haud idoneam esse.

Et vero neutiquam opus est inquirere verane an falsa sit hæreticorum schismaticorumve secta aut doctrina; hoc enim ipso quod ab Ecclesiæ catholicæ communione desciverint, a vera fide pariter defecerunt. Id perpetuo innuit Augustinus, crebro autem dedita opera tradit ac tuetur. Sic in libro *De vera religione*, quem eo scripsit consilio ut religionis christianæ veritatem adversus grassantes Manichæorum errores demon-

(1) *Ibid.* n. 5.
(2) *Ibid.* n. 7.

straret, tamquam veritatis normam ac veluti criterion statuit communionem cum Ecclesia catholica : « Neque, ait, in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum... quærenda est religio, sed apud eos solos, qui christiani, catholici, vel orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes, et recta sectantes (1). » Principium igitur totius disputationis illud est, veram religionem in sola Ecclesia catholica inesse. Quod quidem in hunc modum copiosius pandit auctor : « Repudiatis igitur omnibus, qui neque in sacris philosophantur, nec in philosophia consecrantur (2), et iis qui vel prava opinione, vel aliqua simultate superbientes, *a regula et communione Ecclesiæ catholicæ deviarunt*...., tenenda est nobis christiana religio, et ejus Ecclesiæ communicatio quæ catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque hæretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur (3). » *A priori* ergo rejiciendum consortium ac damnanda doctrina eorum omnium qui a communione Ecclesiæ catholicæ discesserunt vel ab ea, ut ait ibidem (c. V, n. 9) exclusi sunt : indubitatum veri signum atque vexillum est externa illa cum Ecclesiæ societate communicatio. His porro principiis in universum constitutis, aggreditur doctor inclytus ad singulatim refellendos Manichæorum errores.

Alibi quæ sit in religione pertractanda methodus scientifica naturæ legibus accummodata præclare edisserens, simul quoque docet cur interdum satius esse possit methodum relativam adeoque in se minus perfectam, imo vitiosam, sequi. In libro enim quem contra Manichæos edidit *De moribus Ecclesiæ catholicæ*, priusquam disceptationem ineat, hæc de via et ratione disputandi omnibus theologis catholicis probe notanda monet : « *Unde igitur exordiar? Ab auctoritate, an a ratione? Naturæ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas.* Nam infirma ratio videri potest, quæ cum reddita fuerit, auctoritatem postea, per quam firmetur, assumit. Sed quia caligantes hominum mentes consuetudine tenebrarum, quibus in nocte peccatorum vitiorumque velantur, perspicuitati sinceritatique rationis adspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrime comparatum est, ut in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducat

(1) *De vera religione liber unus*, c. V, n. 9.

(2) Dixerat autem « non aliam esse philosophiam, id est, sapientiæ studium, et aliam religionem (ib. c. V, n. 8)», veramque religionem apud solos catholicos esse.

(3) C. VII, n. 12; cf. c. VI, n. 10.

auctoritas. Sed quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem et sentiunt, et loquuntur, et gerunt, *nihilque aliud maxime dicunt, nisi rationem prius esse reddendam*, morem illis geram : *quod fateor in disputando vitiosum esse*, suscipiam. Delectat enim me imitari quantum valeo mansuetudinem Domini mei Jesu Christi, qui etiam ipsius mortis malo, quo nos exuere vellet, indutus est (1). »

Dubio procul digna admodum sunt quæ rite perpendantur ea Augustini verba. Ex his enim liquet quanti sit momenti, ipso judice, eam in religione exponenda defendendave sectari methodum quæ naturæ legibus magis sit accommodata : multum sæpius interest utra methodus eligatur, et crebro accidit ut imbecilliori fundamento niti videatur veritas, quod ratione minus idonea tradita fuerit. Quamobrem theologi omnes, antea quam de religione tractationem suscipiant, hanc quoque cum Augustino quæstionem moveant necesse est : « *Unde igitur exordiar? Ab auctoritate an a ratione?* » Nec vero a naturæ via unquam discedere fas est, nisi id postulaverit adversariorum necessitas. Quod si hujusmodi viam in se naturæ oppositam ineundam duxerimus, perpetuo bene memores simus eam methodum esse *vitiosam*, ut, si in disputando opus fuerit, ad veriorem statim redeamus. Quod autem rei caput est, perspicue hic docet Augustinus solam institutionis atque auctoritatis methodum naturæ legibus esse accommodatam; et idcirco ex ejus mente *omnia contra ordinem et sentiunt et loquuntur* (2) protestantes, ubi statuunt quemque sibi in discenda e Scripturis religione permittendum.

Ex his porro deprehendis non amplius, quemadmodum superioris ævi Patres, in factis vel etiam in ordine mere theologico hærere Augustinum : at pro sua ingenii acie vir acutissimus demonstrationis catholicæ principia altius repetit, commonstrans non modo Christi Domini institutioni *positivæ* inniti Ecclesiæ auctoritatem, sed et adversus Manichæos rationalistas comprobans per omnia naturæ legibus consonare magisterii atque auctoritatis methodum. Quod quoniam et nos postea sumus præstituri, quoniamque id hac nostra ætate, qua ubique grassatur rationalismus, maximi est momenti, operæ pretium erit paulisper hic immorari in excipiendis iis quæ hac in re disseruit doctor egregius : dignus sane qui, ingenii ac doctrinæ luce admota, viam nobis præmonstret. Quum autem illud argumentum dedita opera versavit in libro quem *De utilitate credendi* ad Honoratum scripsit, ex hoc ejus principia sumus deprompturi.

(1) *De moribus Ecclesiæ catholicæ et De moribus Manichæorum libri duo*, lib. I, c. II, n. 3.

(2) Dicere nollem, in universum saltem, *et gerunt* : plerique enim eorum legem hanc, quam venditant, nusquam secuti sunt, nec institutionis viam penitus reliquere : « La nature, ut alicubi dixit Pascal, empêche d'extravaguer à ce point. »

Honoratus falsa scientiæ pollicitatione deceptus, Manichæis nomen dederat atque eorum laqueis adhuc tenebatur. Notum est nempe illud Manichæis præcipuum fuisse decretum, nihil penitus probandum, quin prius perspicue fuerit intellectum; fidem igitur quam commendat Ecclesia irridebant atque inde catholicos ut lucis ac scientiæ hostes criminabantur. Ut istiusmodi criminationes inanes et plane ridiculas ostenderet, atque ita amicum Honoratum ad saniorem mentem adduceret, tractationem hanc edidit Augustinus. Quapropter amico *in errore adhuc versanti* expositurus est viam quam *ad verum inveniendum servandumque* omnino ineundam arbitratur. Unde conficitur istius libri argumentum esse prorsus universale adeoque vere philosophicum : in eo enim totius disputationis cardo vertitur, utrum a ratione, an ab auctoritate sit petenda veritas : utrum intra se ipsum solum cogitando, ratiocinando, an vero ab aliis discendo ad veri cognitionem homini sit perveniendum ? Quid porro huic quæstioni responderit inter christianos philosophos omnium præstantissimus jam nobis dicendum est.

In hunc ergo modum quid ipsi in hoc scribendo opere consilii fuerit primum aperit : « Est igitur mihi propositum, ut probem tibi, si possim, quod Manichæi sacrilege ac temere invehantur in eos, *qui catholicæ fidei auctoritatem sequentes, antequam illud verum, quod pura mente conspicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur*, et illuminaturo præparantur Deo. Nosti enim, Honorate, non aliam ob causam nos in tales homines incidisse (1), nisi quod se dicebant, *terribili auctoritate separata, mera et simplici ratione* eos qui se audire vellent introducturos ad Deum, et errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat, annos fere novem, spreta religione quæ mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi quod nos superstitione terreri, et *fidem nobis ante rationem imperari* dicerent, *se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa et enodata veritate* (2)? »

Postquam autem removit criminationes quibus in Ecclesiam invehi solebant Manichæi, quod ea vetus Testamentum pari cum novo observantia susciperet, mox ad propositam initio quæstionem aggreditur. Sic ergo institutam tractationem exorditur : « Puta nos adhuc neminem audisse

(1) Augustinus enim, non secus ac Honoratus, in Manichæorum secta plures annos degerat. Cf. *Confess.* lib. I, c. 11, et lib. V, c. 14.

(2) *De utilitate credendi, ad Honoratum, liber unus*, c. I, n. 2. Eamdam evidentiam ac scientiam venditant hodierni rationalistæ, atque iisdem laqueis capiunt quam plurimos homines, præsertim juniores, quos terrent, eorum avidioribus oculis, veluti spectrum quoddam, cæcam, ut inquiunt, Ecclesiæ fidem et auctoritatem objiciendo. Quamobrem in hoc nervos omnes intendant doctores catholici oportet, ut argumentis philosophicis ostendant naturæ legibus optime accommodatam esse auctoritatis methodum.

cujuspiam religionis insinuatorem. Ecce res nova est a nobis negotiumque susceptum. *Quærendi sunt, credo, hujus rei, si ulla est, professores* (auctoritas proinde, quæcumque tandem illa fuerit, adeunda ac consulenda). Fac nos reperisse alios aliud opinantes, et diversitate opinionum ad se quemque trahere cupientes; sed inter hos excellere famæ interim celebritate quosdam, atque omnium pene occupatione populorum. *Utrum isti verum teneant, magna quæstio est :* sed nonne prius sunt explorandi, ut quamdiu erramus, siquidem homines sumus, cum ipso genere humano errare videamur (1)? » Itaque illud jam principii loco assumendum statuit, non ratiocinando et argumentando, sed apud religionis doctores ac professores quærendam veritatem; prudentiam vero suadere ut illi prius audiantur qui majori auctoritate pollere videantur. Atqui Ecclesiæ catholicæ majorem præ omnibus sectis tribuendam esse auctoritatem ostendit Augustinus : « Quæ quum ita sint, inquit,... procul dubio a catholica Ecclesia sumendum exordium (2). » Equidem præstantior illa auctoritas quæstionem, quæ de veritate est, nequaquam dirimit; fieri enim posset ut, quæ inter homines omnium maxima prædicatur auctoritas, a vero tamen aberraret. Ideo addit : « Sed de veritate alia quæstio est... nullum ego hinc præjudicium fieri volo, sed exordium quærendi opportunissimum judico (3). »

His constitutis, amico suo narrat Augustinus quemadmodum ipse ab iis quibus apud Manichæos tenebatur tenebris ad Ecclesiam, ubi lucem se invenisse putat, redierit, eumque hortatur ut, « si jam satis sibi jactatus viderit, » simili ratione « sequatur viam catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos, ait, usque manavit, et abhinc ad posteros manatura est (4). »

Verum repente occurrit ea quam tanti faciebant Manichæi objectio, apud catholicos fidem ante præcipi quam dogmata intelligantur : « Hæretici, inquit, eis, quos illectant, rationem se de obscurissimis rebus pollicentur reddituros : eoque catholicam maxime criminantur, quod illis qui ad eam veniunt præcipitur ut credant; se autem non jugum credenti imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur. *Quid, inquis, dici potuit, quod ad eorum laudem magis pertineret?* » — In hac ergo fidei contemptu ac perfectæ scientiæ pollicitatione signaculum quoddam veri agnoscere sibi videbatur Honoratus; quod deinceps confutaturus est Augustinus monstrando fidem religionis ac naturæ legibus maxime consentaneam esse. Et quidem statim objurgationi respondet : « Non, inquit, ita est.... *Nam vera religio*, nisi credantur ea quæ quisque postea, si

(1) C. VII, n. 15.
(2) C. VII, n. 19.
(3) *Ibid.*
(4) C. VIII, n. 20.

se bene gesserit dignusque fuerit, assequatur atque percipiat, et *omnino sine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest* (1).» En thesis quam demonstrandam suscipit. «Sed, ita loqui pergit, quæris fortasse vel de hoc ipso aliquam accipere rationem, qua tibi persuadeatur, non prius ratione quam fide te esse docendum. Quod facile potest, si modo æquum te præbeas (2).» Itaque primum argumentum quo in religione credendi necessitatem suadeat inde ducit, quod omnium hominum sit religio, quamvis perpauci tamen percipiendis rationibus quibus mens ad divinam intelligentiam adducatur apti sunt : « Cum res tanta sit, ut Deus tibi ratione cognoscendus sit, omnesne putas idoneos esse percipiendis rationibus, quibus ad divinam intelligentiam mens ducitur humana, an plures, an paucos? Paucos, ais, existimo. Horumne in numero esse te credis? Non est meum, inquis, hoc respondere.... Verum fac ita esse, et vero animo te ad accipiendam religionem accedere, et ita paucorum te esse hominum, ut rationes, quibus ad certam cognitionem vis divina perducitur, capere possis : *quid, cœteris hominibus, qui tam sereno ingenio prœditi non sunt, negandam religionem putas?* An eos pedetentim quibusdam gradibus ad illa summa penetralia esse ducendos? Vides plane quid sit religiosius. Neque enim tibi quivis homo in rei tantæ cupiditate ullo modo deserendus aut respuendus videri potest (3). »

Quoniam igitur plerisque hominum auctoritatis via prorsus opus est, qua ad religionem cognoscendam gradiantur, liquet plane viam hanc nequaquam damnari aut rejici posse; alioquin universum pene genus humanum in densissimis tenebris citra religionem miserrime degere cogis. Quod si id jure perhorrescas, necesse esse ut habeatur aliqua auctoritas cui homines credant fatearis oportet.

Quod jam attinet ad paucos illos homines qui cæteris et mentis acie et rationis cultu multum præstant, primo quidem auctoritatis via ipsis sane obesse nequit: sed opus-ne est ut eam non secus atque alii sectentur? Ita certe, ait Augustinus, idque ob duplicem potissimum rationem : quoniam nempe alioqui, etsi forte minus sibi, at cæteris saltem exemplo suo nocerent; deinde vero quod via hæc et ipsis salubrior ac tutior omnino appareat : « Quid ergo istis, quorum de genere te esse jam credo, qui facillime divina decreta ratione certa capere possunt, si hac via veniant, qua illi qui primitus credunt, numquid tandem oberit? Non arbitror. Sed tamen, ais, quid eos morari opus est? Quia etsi facto sibi nihil nocebunt, nocebunt tamen exemplo cæteris. Vix enim est qui de re tantum sentiat, quantum potest : sed qui minus, excitandus est; qui amplius, reprimendus; ut neque ille desperatione frangatur, neque iste

(1) C. IX, n. 21.
(2) *Ibid.* n. 22.
(3) C. X, n. 24.

præcipitetur audacia. Quod facile fit, si etiam ii qui valent volare, ne cui sint periculoso invitamento, paulisper cogantur incedere qua etiam cæteris tutum est. Hæc est providentia vera religionis: hoc jussum divinitus, hoc a beatis majoribus traditum, hoc ad nos usque servatum : hoc perturbare velle atque pervertere, *nihil est aliud quam ad veram religionem* SACRILEGAM VIAM QUÆRERE (ad id probe attendant, velim, protestantes : sacrilega via est quæ institutionis atque auctoritatis viæ adversatur). Quod qui faciunt, nec, si eis concedatur quod volunt, *possunt quo intendunt pervenire. Cujusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt.* Tunc autem adest, si societatis humanæ in Deum tendentibus cura sit. Quo gradu nihil firmius in cœlum reperiri potest (1). »

Inde conficitur nec eos qui ingenio pollent, deserta et contempta auctoritatis via, ad veræ religionis notitiam posse pervenire; Deus enim ipsos, tumidos et quam instituit divinam auctoritatem suscipere recusantes, deserit, ac spissis obvoluti tenebris humi tandem repunt. Et vero hanc Augustini sententiam, quam et ipse sua experientia didicerat, luculenter confirmavit omnium hæresiarcharum historia.

Quibus commotus rationibus, concludit sanctus doctor nihil profecto iniquius fieri posse quam ab hujusmodi via desciscere qua sola tuto ad Deum graditur : « In religione ... quid iniquius fieri potest, quam ut Dei antistites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos eis præcipientibus nolimus credere? Postremo, quæ potest esse via salubrior, quam idoneum primo fieri percipiendæ veritatis, adhibendo iis fidem, quæ ad præcolendum et ad præcurandum animum sunt divinitus constituta? Aut si jam prorsus idoneus sis, circuire potius aliquantum qua tutissimum est ingredi, *quam et tibi esse auctorem periculi*, et cæteris temeritatis exemplum (2)? »

Porro ita constituta auctoritatis in re religiosa necessitate, quo plenius fidem ab adversariorum obtrectationibus tueatur, pergit demonstando non in religione tantum, sed et in omnibus quæ inter homines intercedunt relationibus illam adeo necessariam esse, ut ea sublata, simul tollatur humana societas. Ex quo tandem liquido constabit fidem, quam commendant catholici, naturæ legibus per omnia consonare, et catholicam methodum non esse nisi adumbrationem quamdam peculiarem, at perfectiorem, istius auctoritatis principii, in quo, veluti in cardine, vertitur tota hominum societas. Sic igitur argumentatur acutissimus philosophus : « Quæro enim, si quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant quos parentes suos esse non credant? Non enim ratione ullo pacto sciri potest : sed interposita matris auctoritate de patre creditur : de ipsa vero matre ple-

(1) *Ibid.*
(2) N. 24.

rumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest, aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, et sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim non videat pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Quis contra non exterminandum judicaverit, qui veros fortasse parentes minime dilexerit, dum ne falsos diligat metuit? *Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum* (1). » Nemo igitur fidem contemnat; ea enim universa societatis vincula continet.

Quoniam vero alicui auctoritati in religione fides habenda est, id unum jam Augustino restat præstandum, ut penes solam Ecclesiam catholicam auctoritatem hanc esse commonstret. Quod quidem facillimo negotio efficit. Hic autem illud argumentum iterum versat quod jam in libro *Contra Epistolam fundamenti* vidimus, quodque in eo consistit ut dicat Christum, cui fidendum omnes consentiunt, et Scripturas, non cognosci nisi per Ecclesiam; unde consequi ait Christi doctrinam ac religionem ab eadem hac Ecclesia accipiendam : Ecclesia enim quid est aliud nisi societas a Christo ipso constituta, ab eodemque divina auctoritate prædita? Sic ergo amicum alloquitur : « Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confusionem generis humani ab apostolica sede per successiones episcoporum, frustra hæreticis circum latrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ. Nam *si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi præcolit fides*, quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore (robore?) præditæ auctoritati velle resistere? Et si unaquæque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; *quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacramentorum libros, et ab interpretibus suis nolle cognoscere*, et incognitos velle damnare (2)? » Postrema hæc Augustini verba, ut hoc obiter dicam, audiant protestantes, qui *divinorum sacramentorum libros* cuique homini, nullo duce magistro, permittendos statuunt. At audiant quoque, velim, quid in alio hujus tractationis loco de iis qui sine duce et præceptore in sacras litteras *irruunt* disseruerit eximius doctor. In hunc scilicet modum Hono-

(1) C. XII, n. 26.
(2) C. XVII, n. 35.

ratum compellat : « Nulla imbutus poetica disciplina Terentianum Maurum sine magistro adtingere non auderes; Asper, Cornutus, Donatus et alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet poeta possit intelligi, cujus carmina et theatri plausus videntur captare : tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen divinarumque rerum pleni, prope totius generis humani confessione diffamantur, *sine duce irruis, et de his sine præceptore audes ferre sententiam* (1). » Vides profecto quemadmodum Augustinus Honoratum amicum aspere increpat, quod ipse, quamlibet doctus, Scripturas sine præceptore legere ac interpretari non dubitet; tu vero sanctissimos illos divinarumque rerum plenos libros rudi ac imperito cuivis homini sibi soli permisso tradere non verearis! Quam equidem abhorres a majorum institutis!

Sed hæc hactenus. Quæ Augustini principia delibavimus nulla egent commentatione : nemo non viderit ea non tantum protestantibus prorsus adversari, verum etiam demonstrationi catholicæ multum ex illis tum theologici, tum præsertim philosophici incrementi accessisse : imo vero, dicere licet Augustinum primum inter Patres extitisse, qui methodi catholicæ demonstrationem philosophicam adumbrare studuerit. Nunc autem ad postremum properamus Patrum, quorum doctrinam exponendam constitueramus.

§ 8.

VINCENTIUS LERINENSIS.

Duo potissimum rationum momenta me movent cur Vincentii circa methodum principia attingam atque etiam ad trutinam revocem. Notum est sæpius protestantes male susceptæ causæ præsidium in eo celeberrimo auctoris effato quæsivisse : *Curandum est ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est;* perinde ac si hæc præclare admodum dicta sic intelligenda forent, ut cuique integrum sit ipsa Ecclesiæ circa fidem decreta in medium vocare, donec perspectum habuerit ea reapse *universitati, antiquitati et consensioni* consonare. Videndum ergo rectene an secus illa se habeat interpretatio. Eodem accedit, mea certe sententia, perbelle a Vincentio traditas fuisse methodi catholicæ leges : quin etiam profectus hic in controversia cernitur, non philosophicus quidem, nihil enim philosophice disseruit auctor, sed theologicus.

Quid igitur? Reliqui Patres omnes hactenus sane docuere nihil ut verum habendum nisi quod cum catholica Ecclesia consentiat; et vero aliqui ex illis argumentum hoc præclare et copiose evolverunt; quæ autem, ubi Ecclesiæ doctrina decreto quodam solemni et omnibus noto

(1) C. VII, n. 17.

nondum est definita, cum ejusdem dogmatibus consona, quæ ab his aliena sint habenda, minus inquisivere. Hanc profecto normam, ad quam, de uno alterove dogmate oborta disceptatione, varias sententias exigerent, in animo insculptam gerebant, at eidem exponendæ illustrandæque minus incubuerunt : id autem peculiari cura explicare studuit Vincentius. Quamobrem non nova quidem, sed nove tamen tradidit.

Quod unum reliquit opus cominus inspiciamus : parvæ molis est, sed maximi momenti. Opus illud sub nomine *Commonitorium* vulgo occurrit (1). Id vero in eo condendo auctori consilii fuit, ut litteris committeret principia quibus in religione verum a falso tuto secerni posset; nec porro quæ ipse excogitaverit, sed quæ a majoribus accepit relatoris fide exponit. Sic enim tractatum exorditur : « Sed jam in nomine Domini quod instat adgrediar, ut scilicet a majoribus tradita et apud nos deposita describam relatoris fide potius quam auctoris præsumptione (2). » Quid igitur christiano agendum est, ut fidem, quam accepit, illibatam servet atque errorem, si quis obortus fuerit, facile deprehendat? Aliquammulti viri doctrina et pietate conspicui, quos hac de re Vincentius consuluerat, unanimi consensu responderunt duplici quasi vallo communiendam fidem, sacra Scriptura et Ecclesiæ traditione : « Duplici, inquit, modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet (ipse vel quis alius), primum scilicet divinæ legis auctoritate, tum deinde Ecclesiæ catholicæ traditione (3). »

Inde ergo jam plane convellitur protestantium credendi norma. Verum et illud probe animadvertendum, quod ante innuimus, in hac universa disputatione nequaquam de primæ religionis cognitione acquirenda sermonem haberi, quandoquidem inquiritur qua via *munienda* sit *fides*, quæ utique jam in hominis christiani animo inest : imo tantum de viro docto, qui christiana calleat dogmata, quæstio instituitur. His porro præmonitis, Vincentium audire pergamus.

Enunciata in universum lege quam cuivis servandam edixit, statim tacitæ occurrit difficultati quæ ex perfecto Scripturarum canone moveri forte potuisset : « Hic forsan, ait, requirat aliquis : cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei *ecclesiasticæ intelligentiæ* (4) *jungatur auctoritas?* Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius

(1) Huic libro eum præfixerat titulum auctor : *Peregrini adversus hæreticos.*

(2) C. 1.

(3) C. 2.

(4) Inde perspicis Vincentio traditionem non esse emortuum quid, sed juxta esse ac ipsam Christi doctrinam carne, sanguine, motuque in Ecclesia præditam : scilicet non *traditiones*, quas supra diximus, sed *traditionem* commemorat.

interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. *Atque idcirco multum necesse est, 'propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum Ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur* (1).»

Obscura igitur est Scriptura, et intellectus ejus sibi permissæ certo percipi nequit. Quapropter, quam postea decrevit Tridentina synodus, eamdem interpretationis normam statuit auctor, Scripturam nempe intelligendam secundum sensum « *quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia* (2).

En ergo lex universalis, en generale principium quod omnes tuentur Patres. At longius procedendum. Definienda est quæstio quam, ut diximus, præcipuo studio versavit eximius doctor. Enim vero fieri potest, et crebro quidem accidit, ut vel inter catholicos, qui eamdem methodum sectantur, de uno alterove religionis capite aliqua oboriatur controversia, aliis aliud asserentibus.

Quid igitur tunc agendum? Qua tandem ratione discernenda veritas? En Vincentii responsum : « In ipsa item catholica Ecclesia magnopere curandum est ut id teneamus *quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Hoc est etenim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur *universitatem, antiquitatem, consensionem.* Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus quos sanctos majores ac patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur (3). » Quis hæc perlegens non valde miretur aliquando eo inscitiæ processisse protestantes, ut in suæ doctrinæ patrocinium Vincentium advocarent, qui a capite ad calcem præstantissimæ tractationis illam perpetuo damnat penitusque convellit! At cæcis oculis, atque ut profani et peregrini homines, omnia Patrum scripta perlustrant, nihil nisi tenebras offendentes. Quid igitur? Non ejusdem cum Patribus familiæ sunt, et idcirco vocem eorum non audiunt : « *Qui ex Deo est*, aiebat Dominus Judæis, *verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis* (4). » Et ego adversariis dicere non dubito : Propterea vos non au-

(1) C. 2. Atque ita c. 17 ait ideo in errorem lapsum Origenem, quod in interpretanda Scriptura ecclesiasticam traditionem flocci fecerit : « dum, inquit, ecclesiasticas traditiones et veterum magisteria contemnens, quædam Scripturarum capitula novo more interpretatur. »

(2) *Trident. Syn. sess. IV.*

(3) C. 2.

(4) *Joan.* VIII, 47.

ditis Patrum scripta, quia ex Patribus non estis. Ad catholicos ergo spectant quæ attulimus egregii doctoris præclarissima sane verba; et quam exprimunt legem suscipimus atque summo studio in omnibus sequi curamus : in his enim tribus notis inest doctrinæ catholicæ signaculum.

Nec dicat aliquis ex statutis a Vincentio principiis consequi, privati doctoris esse doctrinam concilii generalis decreto sancitam ad trutinam revocare, ut perspiciat an reapse tribus illis notis ea sit munita. Pergit enim auctor expendere atque explicare tres illas quas tradidit notas, ac dicit qua demum ratione ad varios, qui occurrant, casus sint accommodandæ. Et primum quidem, « quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum vel certe civitatis unius aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur? » Quid tunc doctori catholico religionis fata perlustranti agendum? Neque enim una vetustas satis est doctrinæ alicui firmandæ : imo ea tantum vera ac propria antiquitas dicitur quæ ad Apostolos et Christum usque ascendit. Quapropter « tunc omnino curabit ut paucorum temeritati vel inscitiæ, si qua sunt *universaliter antiquitus universalis concilii decreta præponat* (1). » Si quod ergo concilii universalis decretum occurrat, facillimo negotio res peragitur; inde enim aperte liquet a quibus partibus stet veritas. Sed « quid, ita prosequitur, si tale aliquid emergat ubi nihil hujusmodi reperiatur? Tunc operam dabit ut conlatas inter se majorum consulat interrogetque sententias, *eorum dumtaxat qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen Ecclesiæ catholicæ communione et fide permanentes* (ad hæc attendant protestantes theologi : non sinit auctor eos testes advocari qui extra Ecclesiæ externam communionem versati fuerint; horum ergo doctrinam *a priori* falsam habet), *magistri probabiles extiterunt*, et quicquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum (2). » Itaque si nullum in antiquitate occurrat universale concilium, consulantur oportet catholici doctores, illudque ut verum teneatur quod ab his unanimi consensu traditum fuerit.

Quibus ita constitutis, principia hæc illustrare conatur Vincentius exemplis ab Ecclesiæ historia ductis. Primum quidem quod attinet ad probationem ex *universitate* petitam, in memoriam revocat Donatistarum sectam, qui nullo sane molimine in erratis versari demonstrabantur, quod universitati Ecclesiæ opponebantur. Quid vero « si novella contagio totam Ecclesiam commaculare conatur (3)? » Tunc, deficiente uni-

(1) C. 3.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.*

versalitatis nota, retinenda prorsus antiquitas. Cujus quidem rei insigne prodit exemplum Ariana hæresis, quæ « pene orbem totum contaminaverat. » Atqui hac tempestate « quisquis verus Christi amator et cultor extitit, antiquam fidem novellæ perfidiæ præferendo, nulla contagii ipsius peste maculatus est (1). » Alibi, commemorata ea quæ de baptismo ab hæreticis collato Stephanum inter et Cyprianum quondam exorta est controversia, in hunc modum concludit : « Quis ergo tum universi negotii exitus? Quis utique nisi usitatus et solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explosa novitas (2). »

Et vero nulla ratione fas esse potest unquam aliquid addere aut detrahere dogmatibus ab initio traditis : « Adnuntiare ergo aliquid christianis catholicis præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nusquam licet, nunquam licebit (3). » Rationem autem cur nusquam liceat quidquam in religione immutare præclare, more suo, evolvit auctor; quam quidem in eo sitam esse ait, quod religio ab ipso Deo fuerit revelata, non ab homine condita. Sic ergo in hæreticos qui perpetuo antiquæ doctrinæ deposito aliquid adjiciunt demuntve invehitur : « Quasi non cœleste dogma sit quod semel revelatum esse sufficiat, sed terrena institutio, quæ aliter perfici nisi assidua emendatione, immo potius reprehensione non possit, cum divina clament oracula : ne transferas terminos quos posuerunt patres tui (4); — et illud apostolicum, quo omnes omnium hæreseon sceleratæ novitates velut quodam spiritali gladio sæpe truncatæ semperque truncandæ sunt : o Timothee, depositum custodi (5). » In hæc porro apostolica verba concinnam certe et eximiam Vincentius hanc adjicit commentationem : « Quid est *depositum?* Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed *publicæ traditionis;* rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. *Depositum*, inquit, *custodi :* catholicæ fidei talentum inviolatum illibatumque conserva. Quod tibi creditum, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur... o Timothee, o sacerdos, o tractator, o doctor... pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpe (conjungendum docet *scientiæ* profectum cum *fidei* immutabilitate), fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius quod ante obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante

(1) C. 4.
(2) C. 6.
(3) C. 9.
(4) *Prov.* XXII.
(5) C. 21.

vetustas non intellectum venerabatur. *Eadem tamen quæ didicisti doce*, ut cum dicas nove, non dicas nova (1). »

Quis negaverit his eleganter admodum dictis pulcherrime adumbrari ac describi institutionis et traditionis methodum? Quid enim? Vincentio judice, doctrina christiana depositum quoddam est a Christo et Apostolis traditum, atque ab ipsis non cuilibet homini, sed ecclesiastico magisterio concreditum, quod illud integrum illibatumque conservet, et cæteris hominibus itidem in perpetuum tradat : quæ ipsi *didicere*, eadem *doceant* oportet ecclesiastici magistri. Qua igitur arte *sensus privatus* ab eximio doctore aliquid præsidii quærere posse sibi videatur, ego sane haud assequor. Ubique prædicat nihil verum extra vivam et publicam traditionem quærendum; ubique *a priori* damnat et rejicit quidquid Ecclesiæ catholicæ traditioni oppositum est : Vincentius quippe, non secus atque Patres reliqui, nusquam Christi religionem ab Ecclesia sejungit aut etiam distinguit; ambo hæc unum idemque sunt : Ecclesia nihil aliud est nisi ipsa christiana doctrina viva quadam pariter et corporea forma induta, est demum ipsa Christi religio exterius prodita et *organisata*. Quamobrem christianus dici nequit is qui Ecclesiæ membrum esse desiit. In hunc modum religionem et Ecclesiam inter se penitus colligatas conceptis verbis effert auctor : « Ille est verus et germanus catholicus qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit, qui divinæ religioni, qui catholicæ fidei nihil præponit (2). »

Atque hæc hactenus. Hic liceat gradum tandem sistere et quam de Patribus instituerámus disputationem claudere. Ob oculos demum habetur, quid de religionis christianæ methodo senserint, quid docuerint Patres : et vero quamquam non omnino omnium hac de re doctrinam exposuerim, nemo tamen, ni fallor, eo temeritatis et inscitiæ devenerit, ut dicere non vereatur non eadem esse reliquorum Patrum quæ tradidimus principia; quod si quis id asseverare non dubitaret, is sane non impius modo, sed et absurdus foret habendus; et idcirco illum non jam argumentis ab historia ratione ve, sed *aliunde* ductis refellendum arbitror. Confiteamur ergo necesse est, Patribus testibus, nequaquam privatæ rationis Scripturas interpretantis, sed institutionis, traditionis atque auctoritatis methodum a Christo Domino constitutam fuisse, eamdemque perpetuo esse servandam.

Porro quo plenius appareat quemadmodum prisca illa ætate christianismus universus se ipse intellexerit, atque ita cujusque difficultatis vel aditus præcludatur, paulisper etiam versandum censeo argumentum quod ex Conciliis tunc temporis coactis exsistit.

(1) C. 22.
(2) C. 20.

CAPUT V.

DE CONCILIIS PRISCO ÆVO IN ECCLESIA HABITIS.

Antiqua æque ac recentiori ætate inter christianos interdum coacta fuisse Concilia omnes norunt; proinde omnino supervacaneum foret id latius persequi; quæ in apertis versantur approbare velle summæ inscitiæ est. Restat igitur ut argumentum quod ipsa Concilii notio ac indoles suppeditat aperiamus, monstraturi deinde illud per omnia priscis istis Conciliis accommodatum esse.

Ut ratiocinationis nostræ vim facilius percipias, bene semper præ oculis habendum duplicem inter methodum rem hic agi, auctoritatis scilicet et rationis privatæ in acquirenda ac judicanda religione sibi permissæ. Utram ergo methodum commendent sectenturque Concilia nunc videndum est.

Primum quidem quid est Concilium nisi congregatio eorum qui magisterium ecclesiasticum referunt ejusque personam gerunt? Ex magisterio autem præcipui sunt episcopi, quorum caput est Romanus Pontifex. Itaque episcopis potissimum constant synodi, atque ad eos tantum spectat de vera fidei doctrina *judicare :* hinc fit ut ii soli formulam a synodo conditam probare ac subscribere consueverint. Porro ubi doctrinam quam veram habent tradidere, ut falsam damnant ac anathemate percellunt eam quæ isti adversatur. Atque in his quidem inest totus prope Concilii organismus. Præcipua jam hujus momenta ad rem nostram accommodemus.

Id prius in universum monendum duco : si, quod venditant adversarii, cuique religionis interpretatio sit permittenda, haud assequor ego cur cogantur Concilia. Quid enim? Si cuivis integrum sit Scripturam, quæ unus religionis fons habeatur, legere ac de germano ejus sensu judicium ferre, nec quisquam a magisterio quodam jure reprehendi queat, quorsum, quæso, *magisterium* illud, quod cæterum sustulisti, congregandum velis, ut de germano adulteratove Scripturarum intellectu ferat sententiam? Procul dubio hæc inter se perbelle pugnant. Si protestantium methodus teneatur, vel ipsum Concilii nomen mera repugnantia est. Quod, ut postea docebit historia, plurimi illorum brevi perspectum habuere. Quoniam ergo Patrum ætate Concilia fuerunt coacta, inde jam conficitur tunc temporis ignotam penitus fuisse protestantium methodum.

Quod si nunc consideres viros quibus constant Concilia, cito videris ex hoc quoque capite catholicam methodum confirmari. Etenim non

quilibet christianus ad Concilia vocatur, sed ii tantum qui sunt ex Ecclesiæ magisterio; et porro soli episcopi judicium de fidei doctrina ferunt. Unde consequitur inter christianos esse viros peculiari auctoritate præditos, quorum munus proprium sit populo annuntiare ac declarare quæ vera, quæve falsa habenda sint dogmata. Ruit igitur *individualismus* protestanticus. Si enim cujusque privati foret ex Scripturis judicare utrum vera an falsa sit doctrina aliqua, non episcopi modo, sed et quique christiani homines pari jure essent consulendi, atque ita demum in religione statueretur *democratia* absoluta.

Præterea luculenter elucet auctoritatis via ac ratio in Conciliorum scopo atque exitu. Tum nempe cogi solent quum aliquis error inter christianos obortus longius serpit et multorum fidelium fidem in periculum adducit. Hic ergo occurrit quæstio de judice controversiarum. Atqui nequaquam sacris Scripturis, *privato cujusque judicio intellectis*, quæstio permittitur; sed soli, ut diximus, episcopi vi auctoritatis divinitus sibi concreditæ judicium ferunt. Neque vero, lata sententia, ulli christiano fas est in dubium vocare doctrinam definitam : hæc ut certissima et unice vera omnibus credenda traditur, opposita autem anathemate percellitur, et si quis deinceps eam sectari, docere, aut quoquo modo tueri pergat, is ut hæreticus habetur et ab Ecclesia avulsus. At ea profecto agendi ratio perspicue prodit, ex Conciliorum judicio, inesse in Ecclesia auctoritatem summam cui omnibus obtemperandum, eamdemque penes episcopos tantum.

Possem et aliud addere quo perspiciatur quam vim christiani tunc temporis tribuebant traditioni et etiam traditionibus. Verumenimvero ad doctrinam definiendam episcopi in Conciliis testantur quæ sit suarum ecclesiarum hac de re *traditio*, atque ita ostendunt se iis in perpetuum inhærere velle dogmatibus quæ hactenus in variis ecclesiis tradita fuere. Hinc sæpius ab episcopis exclamatum : sic credidere patres, sic tradidere majores.

Quod si quis tamen opponeret sæpe ex solis Scripturis transactam fuisse a Conciliis controversiam, primum quidem responderem id minus verum esse; at maxime monerem sacras Litteras ab episcopis, seu ab Ecclesiæ magisterio intellectas et expositas ut certam ac inconcussam fidei regulam ab omnibus catholicis haberi; quin etiam ex iis in hunc modum *sensu ecclesiastico et traditionali* explanatis plerasque dirimi posse controversias.

His igitur constitutis, ut res extra omne dubium ponatur, quædam priscæ ætatis Concilia, quatenus ad institutum nostrum attineat, inspiciamus.

Quatuor tantum prima Concilia œcumenica in testimonium advocamus, Nicænum I, Constantinopolitanum I, Ephesinum et Chalcedonense. Satis autem fuerit si fere decretum ab ipsis de fidei doctrina editum excita-

verimus; reliqua enim, de quibus disseruimus, aut inde consequuntur, aut in apertis versantur.

Nicæna synodus, adversus Arianam hæresim coacta, postquam recitavit fidei symbolum, in quo profitentur Patres se « *credere* in Jesum Christum Filium Dei..., *natum, non factum*, CONSUBSTANTIALEM *Patri* (1) », Arii doctrinam damnat et anathemate percellit his verbis : « *Eos autem qui dicunt :* erat aliquando quando non erat, et antequam nasceretur, non erat; et quia ex iis quæ non sunt factus est; aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem filium Dei, *anathematizat catholica et apostolica Ecclesia* (2). » Primum ergo synodi Patres tradunt doctrinam quam unam veram habent, deinde vero rejiciunt et a christianorum consortio avulsos declarant eos omnes qui opposita dogmata sectentur. Decreta autem probarunt et subscripserunt trecenti decem et octo episcopi, qui in eodem Concilio convenerant (3).

Constantinopolitani Patres in hunc modum ipsi referunt quid circa fidem statuerint : « Breves pronuntiavimus definitiones, quibus et Patrum, qui Nicææ congregati fuerunt, fidem confirmavimus; et, quæ adversus eam obortæ sunt, perversas hæreses ac pravas opiniones extrema cum execratione ac detestatione reprobavimus (4). » Quoniam nempe Semi-ariani, quorum error tunc temporis præcipue grassabatur, Spiritus sancti divinitatem impugnabant, Constantinopolitanum Concilium, relatis Nicæni symboli adversus Arianos definitionibus, latius evolvit ac definit Ecclesiæ fidem circa Spiritum sanctum, et Semi-arianorum doctrinam ut hæreticam condemnat.

Hæc de Spiritu sancto tanquam veram christianorum fidem tradunt : « *Credimus* in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui locutus est per prophetas (5). »

Sic autem in primo canone Nicænæ synodi fidem confirmant pariterque Semi-arianos una cum aliis hæreticis damnant : « Hæc decreverunt ac statuerunt episcopi, qui gratia Dei ex diversis provinciis Constantinopoli

(1) « Πιστευομεν εἰς... Ιησουν Χριστον τον υἱον του θεου... γεννηθεντα, οὐ ποιηθεντα, ὁμοουσιον τῳ πατρι. » ap. Labbeum, t. II, col. 27.

(2) « Τους δε λεγοντας· ἠν ποτε ὁτε οὐκ ἠν, και πριν γεννηθηναι οὐκ ην, και ὁτι ἐξ οὐκ ὀντων ἐγενετο, ἡ ἐξ ἑτερας ὑποστασεως ἡ οὐσιας φασκοντας ειναι, ἡ κτιστον, ἡ ἀλλοιωτον, ἡ τρεπτον τον ὑιον του θεου· τουτους ἀναθεματιζει ἡ καθολικη και ἀποστολικη ἐκκλησια. » *Ibid.*

(3) Ap. Labb., col. 50.

(4) *Ibid.* col. 945.

(5) « Πιστευομεν εἰς το πνευμα το ἁγιον, το Κυριον, το ζωοποιον, το ἐκ του πατρος ἐκπορευομενον, το συν πατρι και υἱῳ συμπροσκυνουμενον και συνδοξαζομενον, το λαλησαν δια των προφητων, » *Ibid.* col. 954.

convenerunt ... : trecentorum decem et octo Patrum qui Nicææ convenerunt fidem non abrogari, sed firmam ac stabilem manere oportere, et *omnem hæresim anathematizari*, et specialiter Eunomianorum, sive Anomæorum, et Arianorum sive Eudoxianorum, et *Semi-arianorum sive Spiritus sancti adversariorum....* (1) ».

Item in canone VII de hujusmodi hominibus agentes qui aliquando hæresim sectati fuere, quique jam, errore comperto, ad Ecclesiæ gremium redire velint, decernunt Patres, eos recipi non posse quin prius anathematizaverint quævis dogmata ecclesiasticæ fidei opposita. Ita aiunt : « Arianos quidem et Macedonianos .... *recipimus*, dantes quidem libellos, et *omnem hæresim anathematizantes*, *quæ non sentit ut sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia* (2). »

Atque subscribunt episcopi centum quinquaginta, qui eidem Concilio interfuere.

Liquet profecto omnia auctoritatis via confici. Christiana fides a magisterio Ecclesiæ exponitur ac traditur, et mox ut falsum et hæreticum rejicitur quidquid illi quomodocumque adversatur, nec deinceps ulli christiano fas est doctrinam semel definitam in dubium vocare aut damnatam tueri. Quisquis illud moliri ausus fuerit, tamquam putridum membrum ab Ecclesiæ corpore resecatur, atque itidem ut Christi Domini inimicus habetur : ab hoc enim principio semper proficiscuntur Conciliorum Patres, Christi religionem, seu ipsum Christum ab Ecclesia sejungi non posse, et idcirco non amplius ut christianos habent qui Ecclesiæ filii esse desierunt.

Eadem agendi ratio cernitur in Ephesina synodo, adversus Nestorii errores præcipue coacta. Nestorius, ut notum est, impie aiebat duplicem in Verbo incarnato esse personam, divinam aliam, alteram humanam; unde conficiebat B. V. Mariam nequaquam Dei, sed hominis tantum matrem dici posse. His blasphemiis commotus Cyrillus Alexandrinus, ad Nestorium direxit epistolam, in qua tradit antiquam et orthodoxam Ecclesiæ doctrinam, atque hæreticum commentum explodit. Ea porro Cyrilli epistola in Concilio coram omnibus episcopis lecta est, qui, hac audita, professi sunt se in illa agnoscere rectam et antiquam Ecclesiæ fidem : quapropter illam publice approbarunt ac subscripserunt, simulque con-

(1) « Ταδε ὡρισαν οἱ ἐν Κωνσταντινουπολει χαριτι θεου συνελθοντες ἐπισκοποι... μη ἀθετεισθαι την πιστιν των πατερων των τριακοσιων δεκαοκτω, των ἐν Νικαιᾳ της Βιθυνιας συνελθοντων· αλλα μενειν ἐκεινην κυριαν, και ἀναθεματισθηναι πασαν αἱρεσιν· και ἰδικως την... των Εμιαρειανων, ἠγουν πνευματομαχων. » *Ibid.* col. 946.

(2) « Αρειανους μεν και Μακεδονιανους ... δεχομεθα διδοντας λιβελλους, και ἀναθεματιζοντας πασαν αἱρεσιν, μη φρονουσαν ὡς φρονει ἡ ἁγια του θεου καθολικη και ἀποστολικη ἐκκλησια. » *Ibid.* col. 951.

trariam Nestorii doctrinam anathemate perculerunt (1). Item in Concilio recitatum est Nicænum symbolum, atque damnati quicumque cum ea non consentirent (2).

Hanc autem Patres ferunt sententiam in eos qui impia Nestorii dogmata deinceps sectentur : « Si qui inventi fuerint, vel episcopi, vel clerici, vel laici, sive sentire, sive docere ... scelerata et perversa Nestorii dogmata ..., subjaceant sententiæ sanctæ hujus et universalis synodi : ut videlicet episcopus quidem removeatur ab episcopatu, et sit depositus; clericus vero similiter excidat a clericatu : si vero laicus quis sit, et ipse anathematizetur, sicut superius dictum est (3). » Qui igitur ante Christi ministri habebantur, munere sibi concredito non amplius fungi possunt, quoniam ab ipsius Domini fide ac religione defecerunt : laicos vero quod attinet, ipsi itidem a christianorum consortio ejiciuntur. Procul dubio, aut ego nihil video, aut ea auctoritatis methodum perbelle commendant.

Restat ut quæ ad Chalcedonensem synodum spectant statim enucleemus. Hic autem luculenter etiam apparet tamquam sola inter christianos tunc temporis nota traditionis atque auctoritatis via. Et vero non tantum ex peculiari fidei decreto quo Eutychetis commenta damnavit, verum etiam ex multis aliis quæ in hoc Concilio acta fuere in promptu ponitur traditionis methodus. Paulisper rem cominus intueamur.

Actione II primum quidem recitata sunt symbola synodorum Nicææ et Constantinopolis, item duæ epistolæ S. Cyrilli ad Nestorium, quæ in Ephesina synodo probatæ fuerant. Eas autem fidei expositiones omnes tamquam catholicæ veritatis vexillum ratas habuere Patres, atque uno ore clamarunt hanc esse omnium ecclesiarum doctrinam. In hunc modum se Nicænum symbolum mox recitatum suscipere edixerunt : « Hæc catholicorum fides : *huic omnes credimus : in hac baptizati sumus : in hac baptizamus :* Beatus Cyrillus sic docuit : hæc vera fides : hæc sempiterna fides : in hac baptizati sumus : in hac baptizamus : omnes ita credimus : Papa Leo sic credit : Cyrillus ita credidit : Papa Leo ita interpretatus est (4). » Perspicue hic enuntiant Patres indolem religionis *traditiona-*

(1) Cf. Labb. t. III, col. 315-322, ubi refert Epistolam S. Cyrilli; et col. 461-502, ubi habentur testimonium ac judicium episcoporum, Cyrilli litteris subscribentium.

(2) *Act. VI*, *ibid.* col. 672.

(3) « Εἰ φωραθειεν τινες, είτε ἐπισκοποι, είτε κληρικοι, φρονουντες ἡ διδασκοντες... τα μιαρα και διεστραμμενα Νεστοριου δογματα..., ὑποκεισθωσαν τῃ ἀποφασει της ἁγιας ταυτης και οἰκουμενικης συνοδου ωστε δηλονοτι τον μεν ἐπισκοπον ἀλλοτριουσθαι της ἐπισκοπης, και ειναι καθῃρημενον, τον δε κληρικον ὁμοιως ἐκπιπτειν του κληρου. Εἰ δε λαϊκος τις εἰη, και οὑτοι ἀναθεματιζεσθωσαν... » *Ibid.* col. 689.

(4) « Αὑτη ἡ πιστις των ὀρθοδοξων· ταυτῃ παντες πιστευομεν· ἐν ταυτῃ ἐβαπτισθημεν. Ἐν ταυτῃ βαπτιζομεν, κ. τ. λ. » *Ibid.* t. IV, col. 342.

lem. Non opus est ipsis inquirere utrum hæc dogmata Scripturis consonent nec-ne (neque enim timendum censent ne Christus sibi adversetur); sed doctrinam hanc veram habent quæ in singulis Ecclesiæ catholicæ partibus semper extitit, quamque episcopi fidelibus tradere consueverant. — Simili ratione Constantinopolitanam synodum et Cyrilli epistolas comprobant episcopi.

His porro peractis, recitata quoque est epistola quam S. Leo Papa adversus Eutychetis hæresim ad Flavianum archiepiscopum Constantinopolitanum direxerat. In hac epistola præclare pandit Pontifex universam Ecclesiæ doctrinam circa duplicem Christi naturam, atque Eutychetis hac in re errores explodit. Hac autem lecta, plurima superioris ætatis Patrum excitata sunt loca ex quibus manifestum fieret Eutychetem in errore versari; atque demum, his omnibus auditis, clamaverunt episcopi: « Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. *Anathema ei qui ita non credit.* Petrus per Leonem ita locutus est. Apostoli ita docuerunt. Pie et vere Leo docuit; Cyrillus ita docuit... Anathema ei qui sic non credit. Hæc vera fides. Catholici ita sapimus. Hæc Patrum fides (1). » Ubique elucet traditionis atque auctoritatis indoles; qui enim a traditione perpetuo in Ecclesia servata recedunt anathemate percelluntur et corporis Christi membra esse desinunt.

Actione V tandem ipsius Concilii definitio habetur. Tradita autem vera fide circa duplicem Christi naturam, addit: « His igitur cum omni undique exacta cura et diligentia a nobis dispositis, *definivit* sancta et universalis synodus, *alteram fidem nulli licere proferre, aut conscribere vel componere, aut sentire, aut alios docere.* Eos autem qui audent componere fidem alteram, aut proferre, aut docere ... hos, si episcopi fuerint aut clerici, alienos esse episcopos ab episcopatu, et clericos a clero; si vero monachi aut laici fuerint, anathematizari eos (2). »

Post lectionem vero definitionis omnes episcopi clamarunt: « Hæc fides Patrum. Hæc fides Apostolorum, huic omnes consentimus, omnes ita sapimus (3). »

(1) « Αὐτη ἡ πιστις των πατερων· αὐτη ἡ πιστις των ἀποστολων· παντες οὑτω πιστευομεν· οἱ ὀρθοδοξοι οὑτω πιστευουσιν. Ἀναθεμά τῳ μη οὑτω πιστευοντι. Πετρος δια Λεοντος ταυτα ἐξεφωνησεν. Οἱ ἀποστολοι οὑτως ἐδιδαξαν, κ. τ. λ. » *Ibid.* col. 367.

(2) « ... Ὡρισεν ἡ ἁγια και οἰκουμενικη συνοδος ἑτεραν πιστιν μηδενι ἐξειναι προσφερειν, ἠ γουν συγγραφειν, ἠ συντιθεναι, ἠ φρονειν, ἠ διδασκειν ἑτερους. Τους δε τολμωντας ἠ συντιθεναι πιστιν ἑτεραν..., τουτους, εἰ μεν εἰεν ἐπισκοποι ἠ κληρικοι, ἀλλοτριους εἰναι τους ἐπισκοπους της ἐπισκοπης, και τους κληρικους του κληρου· εἰ δε μοναζοντες ἠ λαϊκοι εἰεν, ἀναθεματιζεσθαι ἀυτους. » *Ibid.* col. 367.

(3) « Αὐτη ἡ πιστις των πατερων. Αὐτη ἡ πιστις των ἀποστολων. Ταυτῃ παντες στοιχουμεν. Παντες οὑτω φρονουμεν. » *Ibid.*

Ea profecto perspicua sunt, nec ullum effugere potest quantopere ab individualismo protestantico abhorreant. Sed hæc hactenus. Non opus est plura de Conciliis antiquis disserere : ex dictis satis superque liquet quæ demum fuerit methodus ab ipsis inita et propugnata. Quid autem inde ad causam quam tuemur juvandam eruatur nemo est qui non videat. Concilia quippe œcumenica totam Ecclesiam, universum christianismum verum ac germanum referunt, adeoque adductarum synodorum testimonia audiendo, ipsum christianismum suam methodum aperientem ac palam profitentem definientemque audivimus. Quapropter nihil amplius ambigendum : vel ut vera ac sola christianæ religioni propria suscipienda nobis est methodus quam tenuere Concilia, vel, relicta omni verecundia, proterve dicendum nusquam christianismum sese intellexisse; quod postremum portentosum æque ac impium omnes duxerint.

SECTIO POSTERIOR.

Methodi historiam per subsequentes ætates ad Lutherum usque persequi potuissem; at nihil fere utilitatis rei inceptæ illustrandæ inde accessisset. Quod enim attinet ad controversiam quæ nos inter et protestantes agitur, ea profecto nequaquam hinc juvaretur; adversarii quippe libentiori animo concedunt sequiori, et in primis medio ævo, auctoritatis viam inter christianos invaluisse, et idcirco primorum tantummodo sæculorum religionem in suî patrocinium advocant : quapropter ex eo capite in his nobis constitisse licuit. Neque vero scientiam theologicam, quod est hujusce disputationis alterum caput, multum juvasset ulterior historiæ methodi indagatio; in reliquis enim, quæ omisimus, sæculis, huic quæstioni generali enucleandæ minus incubuere theologi, sed peculiaribus dogmatibus explicandis vel etiam christianæ religionis principiis theoreticis evolvendis defendendisque præcipue operam dedere. Hæc igitur sæcula citra damnum mittere possumus.

In præsentia vero ad exponendam Ecclesiæ catholicæ doctrinam, quo tempore protestantes ab ea defecerunt, aggredimur, mox ipsorum adversariorum principia tradituri, ut velut e regione constituta conspiciens utriusque partis decreta, nullo molimine judicare possis a quibus tandem partibus stent Christus, Apostoli, Patres, Concilia. Jam quidem in universum notum est quæ catholicorum, quæ protestantium sit methodus; at plenior tamen atque firmior erit tractatio, si illam hic exploratiori ratione paucis delineaverimus. Ab Ecclesiæ catholicæ doctrina exordium ducimus.

CAPUT I.

ECCLESIÆ CATHOLICÆ ROMANÆ

DE RELIGIONIS METHODO DOCTRINA.

Duo hic, ut sæpius dictum est, inquiruntur : utrum sacra Scriptura sit fons religionis unicus, vel universe, qui christiano homini doctrinæ fontes sint habendi; et porro an non extet auctoritas quædam summa, ad cujus normam expendendæ sint Scripturarum interpretationes, cujusque decretis in omnibus quæ ad fidem et mores spectant sit obtemperandum? Priorem quæstionem ad hunc modum solvit Tridentina synodus : « Sacrosancta œcumenica et generalis Tridentina synodus.... hoc sibi

perpetuo ob oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa *evangelii* in Ecclesia conservetur : quod promissum ante per prophetas in Scripturis sanctis, Dominus noster Jesus Christus Dei Filius, proprio ore primum promulgavit : deinde per suos Apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis, et morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit : perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt : orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, *necnon traditiones ipsas*, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, *et continua successione in Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.* »

Recensitis vero libris quos ut sacros et canonicos suscipit, addit sancta synodus : « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit; anathema sit (1). »

Fides ergo catholica docet tum Scripturas sacras, tum traditiones divinas *continua successione in Ecclesia conservatas* tamquam christianæ doctrinæ fontem esse habendas.

Quod autem attinet ad normam ad quam Scripturarum interpretatio sit exigenda, hæc habet eadem Tridentina synodus : « Decernit (sacrosancta synodus), ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, *cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum*, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat (2). » Porro concilium damnat atque anathemate percellit eos omnes qui dogmatibus a se definitis quidpiam oppositum doceant tueanturve.

Itaque dogma catholicum est extare inter christianos auctoritatem summam et falli nesciam cui omnibus sit parendum, atque penes eam inesse integram et illibatam Christi doctrinam; a qua propterea *a priori* certum est nuspiam dissentire posse Scripturam : et ideo simul atque aliqua interpretatio dogmatibus Ecclesiæ non consonat, falsa habetur; secus enim, Christus sibi adversari dicendus foret.

Quoniam autem universam atque incontaminatam Christi doctrinam tenet ac in se gerit Ecclesia, summo studio curat ut qui ex suo sunt

(1) *Sess.* IV.
(2) *Ibid.*

magisterio illam populos edoceant, caventes ipsi ne quid unquam de ea detrahant aut eidem adjiciant. Quod si quis dogma huic contrarium recipere aut docere præsumpserit, statim condemnatur atque a catholicorum consortio alienus declaratur. Igitur, ut verbo dicam, via quam in religione sectantur catholici est plane institutionis et auctoritatis.

An vero hæc Tridentinæ synodi principia non apprime consentiant iis quæ ubique in antiqua Ecclesia offendimus haud difficile est judicatu. Utrinque scilicet eadem cernitur doctrina, eadem penitus occurrit methodus. Quod autem speciatim attinet ad eum interpretationis canonem quem sancivit Tridentina synodus, et ex quo nefas habetur Scripturam interpretari *contra eum sensum quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia*, quemque tot et tantis criminationibus exagitarunt adversarii, tu ipse, optime lector, dicas, velim, utrum non ad amussim consonet cum iis principiis quæ nobis priscam ætatem perlustrantibus perpetuo obvia fuere.

At hæc nimis aperta sunt quam ut in iis illustrandis diutius immoremur. Inde vero conficitur nequaquam degeneres esse recentiores catholicos, sed contra majorum vestigiis quam maxima fide insistere, eadem ratione christianismi indolem ac naturam intelligentes qua ab initio et deinceps ipse se intellexit. Quantum ab hac methodo aberret protestantismus jam videamus.

CAPUT II.

PROTESTANTIUM PRINCIPIA DE RELIGIONIS METHODO.

Ut in tuto collocentur quæ in posterum in hanc rem sumus disputaturi, omnisque effugii aditus præcludatur, protestantium principia ex eorum libris symbolicis depromemus. Hi porro docent omnia religionis christianæ dogmata in Scripturis contineri, traditiones quascumque rejiciunt, atque itidem aiunt nequaquam ex Ecclesiæ doctrina judicandum esse de Scripturarum intellectu, sed contra ad ipsius Scripturæ normam exigendam Ecclesiæ doctrinam.

In hunc modum loquitur *Solida Declaratio*, Lutheranorum liber symbolicus : « Credimus, confitemur et docemus, unicam regulam et normam, ex qua omnia dogmata, omnesque doctores judicare oporteat, nullam omnino aliam esse, quam prophetica et apostolica, tum veteris, tum novi Testamenti scripta (1). » Similiter Confessio Wittembergica docet :

(1) *Solid. Declar. forma dijud. controv.* § 2, p. 605.

« Manifestum est, quod omnia quæ ad salutem cognitu necessaria sunt, in scriptis propheticis et apostolicis contineantur (1). » Similia tradunt reformatorum confessiones. Ita ait confessio gallica : « Hos libros agnoscimus esse canonicos, id est, ut fidei nostræ normam et regulam habemus. » Et mox addit : « Quumque hæc sit omnis veritatis summa, complectens quidquid ad cultum Dei et salutem nostram requiritur, neque hominibus, neque etiam ipsis angelis fas esse dicimus quicquam ei Verbo adjicere vel detrahere, vel quicquam prorsus in eo mutare (2). » — Confessio vero Belgica hæc habet : « Credimus sacram Scripturam perfectissime omnem Dei voluntatem complecti, et in illa abunde ea omnia doceri, quæcumque ab hominibus credi necesse est, ut salutem consequantur. Itaque cum illic exactissime et fuse descripta sit omnis divini cultus ratio.... » Et statim itidem subjicit : « Quum enim vetitum sit, ne quis Dei Verbo (Verbum autem Dei solam Scripturam notat) quicquam aut addat aut detrahat, satis eo ipso declaratur, sacram hanc doctrinam omnibus suis numeris et partibus perfectam (3). » Eadem principia occurrunt in confessionibus Anglica (4), Scotica (5), Helvetica (6).

Igitur palam est ex protestantium doctrina omnia quæ ad salutem necessaria sunt in Scripturis reperiri, nefasque haberi ullum alium religionis fontem adsciscere.

Quæ quum ita sint, inspiciendum etiam est an apud eosdem statuatur auctoritas quædam summa cujus sit Scripturas interpretari atque de harum sensu judicium ferre? Neque enim satis est fontem doctrinæ uberrimum tenere, nisi simul ex hoc tute ac citra errandi periculum haurire queas. At id jam assequeris, a protestantibus nequaquam magisterium quoddam, cui omnibus esset obtemperandum, constitui potuisse, quin statim in aperta et turpissima quidem contradictione versarentur; quippe qui quam sibi hac in parte vindicabat auctoritatem catholica Ecclesia quavis ratione exagitabant eamque ut horrendam conscientiarum tyrannidem exhibere consueverant. Ne ergo turpius secum ab exordio pugnarent pseudo-reformationis artifices, *theoriam* saltem catholicæ Ecclesiæ oppositam commendare debebant; et propterea id principii loco sibi assumerent necesse erat, neminem deinceps ullius auctoritatis tyrannidi in re religiosa subditum iri, sed quemque sibi suoque judicio in Scripturis interpretandis permissum. Et vero principium hoc cum cæteris

(1) Art. 30. Cf. *Confess. August. præf.*
(2) Art. 4 et 5.
(3) Art. 7.
(4) Cf. *Confess. Angl.* prior (1562) art. 10, et posterior, art. 6.
(5) Cf. *Confess. Scotica* prior (1568) art. 18, item posterior (1581).
(6) Vid. *Helvet.* prior (1536) art. 1, necnon posterior (1566) art. 1.

doctrinæ eorum capitibus belle consonabat : aiebant quippe hominem originis peccato penitus corruptum nihil amplius virium habere in rebus divinis aut appetendis sectandisque, aut etiam percipiendis, eum vero in omnibus a Spiritu Dei regi intusque doceri. Hinc sequebatur quemque christianum, si modo Scripturas perlegeret, repente illuminari, veramque sacrarum litterarum sententiam, Deo intus docente, citra ullum adminiculum externum percipere : et porro verendum non erat ne quis Spiritus sancti inspirationi aut divini eloquii doctrinæ sua cogitata supponeret, quandoquidem plane sublata fuerat humana ratio nec ulla amplius vis ipsi inerat. Solus Deus in hominis mente agere dicebatur, homo autem machinæ instar accipere prædicabatur quidquid Deus in ipsius animum injicere vellet (1).

In hunc ergo modum Lutherus decernit quemque sibi suæ doctrinæ judicem esse liberrimum : « His et similibus multis locis, tum Evangelii, tum totius Scripturæ, quibus admonemur ne falsis doctoribus credamus, quid aliud docemur, quam ut *nostræ propriæ quisquis pro se salutis rationem habens, certus sit, quid credat et sequatur, ac judex liberrimus sit omnium, qui docent eum,* INTUS A DEO SOLO DOCTUS (2). » Alibi ait : « Christianis nihil nullo jure posse imponi legum, sive ab hominibus, sive ab angelis, nisi quantum volunt, *liberi enim sumus ab omnibus.* » — « Dico itaque : neque papa, neque episcopus, *neque ullus hominum habet jus unius syllabæ constituendæ super christianum hominem,* nisi id fiat ejusdem consensu : quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit (3). »

Similia habet Zwinglius. « Hæc, inquit, tandem sola est Ecclesia labi et errare nescia, quæ solam Dei pastoris vocem audit (scilicet sacram Scripturam), nam hæc sola ex Deo est. Qui enim ex Deo est, Verbum Dei audit; et rursus vos non auditis, qui ex Deo non estis. Ergo qui audiunt, Dei oves sunt, Dei Ecclesia sunt, errare nequeunt : *nam solum Dei Verbum sequuntur, quod fallere nulla ratione potest* (4). » Quoniam ergo vera et infallibilis est Scriptura, inde consequi censet Zwinglius nec falli posse eum qui Scripturam perlegit et interpretatur. Id quidem nullus sanæ mentis multum non mirabitur, sed huic tamen principio tota innixa gestabatur ea interpretandi libertas quam cuilibet largiebantur sectæ protestantium artifices : Scriptura, aiebant, errare nequit;

(1) Cf. Mœhler, *Symbolique ou exposition des contrariétés dogmatiques entre les catholiques et les protestants, d'après leurs confessions de foi publiques.* — Traduite de l'allemand par Lachat, ed. Bruxelles 1838, ch. V, § 44, tom. II, p. 60-63.

(2) *De instit. minist. Eccles.* opp., tom. II, fol. 584.

(3) *De captivit. Babyl.* p. 288.

(4) *De vera et falsa relig. comment.* opp. tom. II, fol. 192; Cf. Mœhler, tom. II, p. 61-62.

ergo nec ille errare poterit qui eam sequi voluerit! — Sic alibi loquitur idem Zwinglius : « Cum *Deo docente discant pii*, cur non eam doctrinam, quam divinitus accipiunt, iis liberam permittitis? Quod vero Deus piorum animos instituat, Christus eodem in loco non obscure innuit, dicens : Omnis qui audiverit a Patre et didicerit, ad me venit. Nemo ad Christum pervenit, nisi cognitionem illius a Patre acceperit. Jamne ergo videtis et auditis, quis sit magister fidelium? Non Patres, non doctores titulo superbi, non magistri nostri, non pontificum cœtus, non sedes, non scholæ, nec concilia, sed Pater Domini nostri Jesu Christi. Quid ergo, objicitis, an homo hominem docere non potest? Nequaquam. Christus enim dicit : nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum... Verba Spiritus clara sunt, doctrina Dei clara est, docet et hominis animum sine ullo humanæ rationis additamento (1). » — Quodlibet igitur magisterium plane rejicitur, et christianus sibi soli permittitur.

Calvinus quidem quam maxime lugendas istius principii sequelas suis oculis jam conspiciens in hac via hæsit, imo gradum revocare conatus est, et constituere voluit doctoribus atque Ecclesiæ ministris præstandam obedientiam. Verum quantopere hæc ab ipso pseudo-reformationis principio aberrent nemo est qui non videat. Si enim auctoritas agnosci debeat cui omnibus sit parendum, quo jure Calvinus Ecclesiæ catholicæ auctoritatem, a qua defecerat, contemnere potuit ut sibimet ipse fidem haberet? Quod si ipse Ecclesiæ magisterium flocci facere fas duxit, cur ejus auctoritatem discipuli susciperent ac venerarentur? Cæterum genevensis hæresiarcha ab istis principiis, quæ catholicam methodum nimium redolebant, sæpius discedit, decernens testimonio Spiritus sancti interno præcipue fidendum esse (2). Et vero quoniam ex Calvinistarum sententia Ecclesiæ judicium errori est obnoxium, cur quilibet christianus illud sequi juberetur? Itaque, re penitus perspecta, eodem recidit Calvinistarum et Lutheranorum principium : utrinque quivis in re religiosa necessario sibi permittitur, nec ulla auctoritas quidquam jure præcipere aut decernere potest.

Quod speciatim attinet ad ecclesiam Anglicanam, in ea quam edidit fidei confessione prohibetur ne Ecclesia quidquam præcipiat sacræ Scripturæ oppositum aut ipsius Scripturæ verba perperam interpretetur (3). Ergo falli potest Ecclesia; ergo ejus judicium superiori judici subjicitur : quis autem sit judex ille non definit confessio; sed idem hic dicendum quod modo de Calvino monebamus. Et vero convenit fere inter theologos

(1) *De certitud. et clarit. verbi Dei*, c. III, opp. tom. I, p. 169.

(2) Cf. *Instit.* lib. I, c. 7, § 3, fol. 5. « Ici, inquit Cl. Mœhler, Calvin renverse l'édifice qu'il avait élevé à si grands frais : il rend à la raison individuelle tout ce qu'il s'était efforcé de lui arracher. » tom. II, p. 95.

(3) Cf. *Confess. Angl.* art. 12.

Anglicanos cuilibet christiano jus esse ut suo ipsius tantum judicio innixus Scripturas interpretetur atque ex eis religionis doctrinam eliciat (1).

Porro quo facilius suum adversus Ecclesiam catholicam tuerentur principium, id ratum ac firmum habuere Lutherani et Calvinistæ, omnia dogmata ad salutem necessaria *clare ac perspicue* in sacris Litteris tradi, ita ut nulla interpretatione egeant, sed facillime a quolibet percipi possint. Sic illud efferunt Collocutores Ratisbonenses : « Quæcumque ad salutem scitu necessaria sunt, satis *perspicue* et *dilucide* in utroque, novo præsertim Testamento, nobis ob oculos posita esse, Dei beneficio agnoscimus (2). » Ex reformatis autem, synopsis purioris theologiæ Leydensis tribuit etiam *perspicuitatem* Scripturæ in necessariis fidei et morum (3).

Quibus constitutis liquet plane ex protestantismi artificum judicio universam Christi doctrinam ad salutem necessariam in Scripturis reperiri, eamdemque ibi clare et perspicue occurrere; et porro quemque sibi in Scripturis interpretandis adeoque formanda religione magistrum ac judicem esse : nulla quippe habetur auctoritas cujus æquum munus sit populos edocere aut controversias, si quæ fuerint, componere. Igitur protestantium regula *formalis*, ut aiunt, ex adverso repugnat catholicorum methodo. Hic agnoscitur magisterium summum eo institutum consilio, ut integram ac puram, quam tenet, doctrinam populis tradat, et, si quando oborta fuerit controversia, quid verum, quid falsum sit decernat, atque ea quidem lege ut ejus decreto omnes obedientiam præstent, sin minus, anathemate percellantur. Illic autem quisque sibi tum in discenda, tum in tuenda *sua* religione permittitur, nec ullus unquam alicui auctoritati privatum judicium subjicere debet. Catholici institutionis atque auctoritatis, protestantes spiritus atque examinis privati methodum sectantur. At quemadmodum catholicæ, quæ nunc est, Ecclesiæ, ita et, ut ex hactenus disputatis liquet, antiqui christianismi methodo aperte repugnat protestantismi principium. Falsa igitur atque a Christo Domino

(1) Cf. cl. Wiseman, *Conférences sur les doctrines et les pratiques les plus importantes de l'Église catholique* — traduites de l'anglais, éd. Bruxelles, 1839, tom. I, p. 66-69. Ibidem ita loquitur de Anglicanorum regula : « Il est convenu qu'elle consiste dans la prérogative indestructible, dans le privilége inaliénable, assuré à chaque chrétien d'établir lui-même, par son propre jugement, la vérité de ses croyances sur le livre que Dieu a révélé aux hommes; bien plus, d'après la règle du docteur Beveridge, règle adoptée par d'autres auteurs modernes, ce n'est pas seulement une faculté, c'est un devoir pour les chrétiens d'approfondir toutes les preuves sur lesquelles ils basent leur foi, d'étayer tout l'édifice de leurs croyances sur l'examen individuel. » p. 69.

(2) *Colloq. Ratisb.* thes. 5 et 6.

(3) *Disput.* 5, *thes.* 11. Cf. Walenburgenses, *Methodus Augustiniana,* part. I, c. II.

prorsus aliena jam inde comprobatur pseudo-reformatio, quod nec Christum nec ipsius opus ulla ratione intellexisse convincitur : qui enim christianæ religionis indolem haud assequitur, is Christi esse nequit; profanus est et peregrinus, nec amplius necesse est peculiaria, quæ prædicat, dogmata ad trutinam revocare, ut appareat utrum vera an falsa sint; *a priori* quippe manifestum est ipsi circa ea quæ Christi sunt nullam haberi posse fidem, utpote qui Christi opus perperam interpretatus sit.

Quum ergo Christi revelatio *res facti* sit, ut aiunt, adeoque ex eorum qui tunc temporis aut viciniori saltem ætate discipuli ejus extitere testimoniis potissimum sit constituenda explicandaque; quumque illi qui, fatentibus adversariis, prisco hoc ævo christianismum referunt aliter quam protestantes christianam religionem intellexerint, plane consequitur adversarios a germana christianismi notione aberrasse, et porro penes catholicos tantum esse verum christianismum. Transacta igitur est omnis controversia. Nos Christi, Apostolorum et Patrum discipuli ac filii sumus; vos contra a Christo, Apostolis et Patribus prorsus alieni estis.

Quamquam hæc verissima sint nec ab ullo in dubium vocari queant, nisi mentis oculos pertinaci animo claudere decreverit; quamvis proinde tractationis parti historicæ finem hic facere liceret, censeo tamen haud abs re fore demonstratam thesim ex historia itidem confirmare. Id quippe neminem latet, ubi principium quoddam statuitur, maxime si ad usum atque ad hominum actus regendos moderandosve potissimum spectet, ex suîmet historia plurimum illustrari ac dilucidari : ex iis quos attulit fructibus lux oritur locupletissima qua de ipsius veritate judicium ferri possit. Supremum tribunal ac judex integerrimus est historia, cujus est de quolibet principio, si modo ipsi vim suam exerere per tempus licuerit, jus tandem dicere ac sententiam ferre. Quoniam ergo quam in se gerit occultam virtutem per tria jam et amplius sæcula exterius prodere potuit protestantismi methodus, operæ pretium erit celeriori saltem gradu fata ejus dogmatica perlustrare, atque ita perspicere quo illa demum adducta fuerit.

CAPUT III.

HISTORIÆ PROTESTANTISMI METHODI BREVIARIUM.

AB INITIO PSEUDO-REFORMATIONIS AD RATIONALISMI BIBLICI ORTUM.

Animus quidem non est singula prope historiæ protestantismi dogmaticæ capita persequi, id enim longum foret et ab instituto nostro prorsus

alienum. Satis fuerit si præcipuas protestantismi epochas theologicas adumbraverimus, ea scilicet ratione ut appareat quî processu temporis explicatior extiterit privati examinis methodus.

Porro, mea sane sententia, duplex potissimum epocha in protestantismi theologia distingui potest : prior ea est in qua plerique theologi, principii, cui fundamenti instar innitebatur pseudo-reformatio, indolem haud plene assecuti vel certe non secuti, auctoritatem quamdam externam tuebantur vel saltem sine prævio examine Scripturas ut sacras suscipiebant, atque ex illis tanquam ex fonte undequaque divino dogmata depromere studebant; posterior autem illa est ubi quamplurimi doctores, maxime in Germania, serio demum animo protestanticam methodum complexi, constituerunt ab interprete sacras Litteras explicaturo habenda esse varia christianæ doctrinæ ante accepta capita pro totidem præjudicatis opinionibus, ad quas in interpretando ille minime attendere debeat. Hæc posterior epocha ab Ernesti et præsertim a Semlero exordium duxit, et multa peperit systemata rationalistica, quorum præcipua in medium sumus adducturi.

§ 1.

PRIMUM PROTESTANTES IN AGENDO CUM PRINCIPIO A SE IPSIS CONSTITUTO PRORSUS PUGNANT.

Quemadmodum supra innuimus, protestantismi principium nihil pene aliud est quam rebellionis adversus catholicam Ecclesiam effectus atque exitus. Auctoritatis ecclesiasticæ vim agnoscere recusans Lutherus, eo ipso rationem privatam summam atque in omnibus sibi soli permittendam statuebat. Et vero hac in re nihil novi invexit pseudo-reformationis artifex; id enim tantummodo egit quod agat necesse est quisquis adversus auctoritatem quamlibet jure institutam rebellare voluerit.

Et re quidem vera quotquot fere quavis ætate extiterunt hæretici idem illud principium in suî præsidium advocare consueverunt : secus enim mox periisset male suscepta causa. Ideo Patrum doctrinam inspiciendo, sæpius vidimus istius ævi hæreticos sacram Scripturam tanquam unicum religionis fontem venditantes, eamdemque non ex traditionis atque auctoritatis regula interpretandam, sed ex privato cujuslibet judicio. Principium illud implicatius certe aut explicatius apparere potest, at in qualibet hæresi necessario delitescit. Lutherus ergo tritam ac regiam hæresiarcharum viam sectatus est (1).

(1) Atque eam principii a Luthero invecti cum reliquorum hæreticorum doctrina cognationem agnoscunt hodie non pauci protestantes. Cff. Lessing, *Der*

At qua ratione illam methodum ad usum accommodaverint primi protestantes jam inspiciendum est. Quod ut facilius et utilius præstetur, quid, hac constituta methodo, consequatur breviter in memoriam revocandum arbitror.

Quoniam sacra Scriptura unicus doctrinæ fons, imo et regula prædicatur, quoniamque nulli hominum jus inest cæteros docendi, sed quilibet sibi tantum fidem habere debet, conficitur cujusvis esse religionis dogmata, solo privato spiritu duce, e sanctis Litteris eruere, atque ita quidem ut ulli externæ auctoritati fidere nec debeat, nec vero possit : secus tollitur privati examinis principium. Videndum igitur est an protestantes, exagitata apud catholicos *institutionis* atque auctoritatis via, populos religionem edocere desierint; ecquid enim externa institutio, ut olim jam aiebat Augustinus, si quisque sibi, Scripturarum saltem ope, magister et doctor habeatur? Satis profecto fuerit si Biblia alicui tradideris, ut deinceps ipse ex illis eliciat quidquid ibi clare et perspicue dictum senserit. — Videndum porro est num Scripturarum authentia et inspiratio in dubium adductæ fuerint, donec instituto examine quivis sibi ipse hæc prævia interpretationis fundamenta demonstraverit : ecquis enim protestantem certiorem efficit sacras Litteras genuinas esse atque ab auctoribus divinitus inspiratis profectas? — Inquirendum tandem utrum dogmata ante accepta pro totidem præjudicatis opinionibus haberentur, ut ita demum quisque Scripturam liberrime interpretaretur, nihil amplius veritus ne forte alicujus sectæ placita divini Eloquii decretis supponeret; neque enim ad *analogiam* fidei cujuslibet ecclesiæ intelligenda deinceps Scriptura, sed contra ad Scripturæ normam exigenda quævis doctrina.

Atqui nihil fere horum in primorum protestantium agendi ratione cernitur. Quemadmodum catholici, ita et protestantes populis doctrinam tradere curabant, eamdemque viam semper tenuere. Quod si quando accideret ut aliqui ex populo doctores et pastores audire recusarent, obtendentes sibi Scripturam aut etiam Spiritus sancti testimonium plane sufficere, illi statim ut mentis ac pietatis expertes habebantur atque fanatica insulsitate abrepti. Sic ipse Lutherus, qui tantopere privati spiritus libertatem, seu ut rectius dicam, effrænatam licentiam commendaverat, quum quosdam ex suis perspiceret hac libertate serio animo frui velle atque omnem pastorum institutionem auctoritatemve contemnere, pedem quasi revocans, eos condemnat, et porro ait non tantum interiori cujusvis judicio, sed et externo pastorum doctrinam

nöthigen Antwort auf eine sehr unnöthige Frage des H. Hauptpastor Götze, erste Folge, 1778. — Pustkuchen-Glanzow, *Die Wiederherstellung des echten Protestantismus*, 1827. — K. Wunster, *Concordia*, 1828, nº 41. — *Protestant. Abtheilung.*

esse probandam improbandamve. Ita loquitur : « Neque illos probo, *qui refugium suum ponunt in jactantia spiritus* (at si ita est, quid, bone doctor, de teipso dicendum!). Nos sic dicimus : duplici judicio spiritus esse explorandos seu improbandos. Uno interiori, quo per Spiritum sanctum vel donum Dei singulare, quilibet pro se, suaque solius salute illustratus, *certissime judicat et discernit omnium dogmata et sensus*.... Alterum est *judicium externum*, quo non modo pro nobis ipsis, sed et pro aliis et propter aliorum salutem, certissime judicamus spiritus, et dogmata aliorum. *Hoc judicium est publici ministerii in verbo, et officii externi, et maxime pertinet ad duces et præcones verbi.* Quo utimur dum infirmos in fide roboramus et adversarios refutamus (1). » Quî hæc inter se cohæreant inquirat alius, non ego. Si enim *quilibet pro se certissime judicat et discernit omnium dogmata et sensus*, haud sane assequor cur etiam aliorum auxilio egeat. Verum a principio quod ipse constituerat, verbis saltem, desciscere non poterat pseudo-reformationis artifex; at ne omnia susdeque vertantur, ne ipse a suis contemptui habeatur, alterum adsciscere cogitur principium, quod auctoritatis est, et prius tollit : *praxis* nempe, ut aiunt, *differt a speculatione!* — In praxi ergo protestantes omnes, si quosdam fanaticos exceperis, institutionis viam, a catholicis acceptam, tenuere, sui principii prorsus immemores. Et vero a naturæ legibus nimium abhorret ea quam venditabant methodus, ut unquam, nisi per summam stultitiam, in usum adduci potuerit.

Neque porro Scripturæ authentiam atque inspirationem dubias ponebant, donec cujusquam privato examine demonstratæ fuissent. Scripturas ceu ipsius Dei eloquia sine ulla inquisitione suscipiebant, nisi forte aliqua illarum particula cuidam peculiari pseudo-reformationis placito aperte nimis adversaretur : tunc enim illa non amplius ut divina habebatur, sed plane ut nullius momenti rejiciebatur, etsi reapse tum etiam minus a more consueto recederent, particulas quippe hujusmodi citra ullum examen repellebant. Notum est Lutherum ob ejusmodi causam e librorum sacrorum canone expunxisse B. Jacobi Epistolam, quam *stramineam* calumniabatur. Verum plerosque Scripturæ libros ut sacros venerabantur.

Inscii scilicet et veluti natura duce ex ipsius Ecclesiæ catholicæ, quam perpetuis insectabantur criminationibus, auctoritate et traditione libros sacros accipiebant. Quum autem id ipsis exprobrarent catholici theologi, aiebant se nequaquam fidem Scripturis habere, quod has divinas testaretur Ecclesia, sed quod, intus docente Spiritu sancto, earum divinitas cuilibet manifesta prorsus efficiebatur. In hunc modum ira percitus Calvinus in catholicos doctores invehitur : « *Sic enim magno cum ludibrio Spiritus sancti quærunt :* Ecquis nobis fidem faciat hæc a Deo prodiisse? Ecquis salva ac intacta ad nostram usque ætatem pervenisse

(1) *De servo arbitrio*, opp. tom. III, fol. 182.

certiores reddat? Ecquis persuadeat librum hunc reverenter excipiendum, alterum numero expungendum, nisi certam istorum omnium regulam Ecclesia præscriberet? Pendet igitur, inquiunt, ab Ecclesiæ determinatione et quæ Scripturæ reverentia debeatur, et qui libri in ejus catalogo censendi sint. *Ita sacrilegi homines*, dum sub Ecclesiæ prætextu volunt effrænatam tyrannidem evehere, nihil curant, quibus se et alios absurditatibus illaqueent, modo hoc unum extorqueant apud simplices, Ecclesiam nihil non posse (1). » Atque hac tandem ratione per summam calumniam se expedit a difficultate; sed hoc ipso huic solvendæ se imparem prodit.

Et vero quantumcumque internum Spiritus sancti testimonium jactitent, id quidem simplicioribus ac tardioris ingenii hominibus fucum facere poterit; at quotquot rem penitus perpendere voluerint, cito perspexerint in principio protestantes ideo sacras litteras suscepisse ac veneratos esse, quod in ea societate instituti fuerant quæ illas divinas profitebatur: sublato illo Scripturarum fundamento, brevi de his actum fuisset. Quid enim? Vel solius rationis atque eruditionis privatæ judicio et inquisitionibus Scripturarum canon plane permissus fuisset; quis autem hujus examinis extitisset exitus docebit in posterum rationalismi biblici historia : vel interno, cuique proprio, Spiritus sancti, quod obtendebant, testimonio res serio animo peracta fuisset, tum vero quam latissima ad fanatismum et chaos babelicum via patebat. Quod brevi quidem demonstravere innumeri protestantismi surculi qui modo unum, modo alterum, nunc autem omnes fere Scripturæ libros, duce spiritu (!), rejecerunt. Spiritus privatus, quem summa blasphemia Spiritus sancti nomine donabant sacrilegi homines, nusquam sibi constabat : hic eumdem librum ut divinum probabat, quem illic ut commentum humanum explodebat. At amariores prorsus apparebant ii quos sponte sua fructus afferebat pseudoreformationis lex primaria, quique ne maturitatem assequerentur prohibere summo studio contendebant sectæ artifices aut duces præcipui : his ergo asseverantibus, in erratis erat spiritus ubi sacrorum librorum canonem nimium contrahere atque in angustum adducere videbatur. Nempe, ut diximus, ceu lex sacra immotaque privatum examen *theoretice* constitutum fuerat, at in praxi penitus oblivioni dabatur; si qui vero illud ad Scripturarum canonem expendendum accommodare volebant, hi veluti religionis hostes anathemate percelli consueverant.

Igitur quod jam attinet ad duo prima quæstionis superius institutæ capita, nihil fere plerisque protestantibus nisi merum ac inane prorsus nomen erat illa quam tantopere jactabant methodus.

Inquirendum restat utrum revera, ab animo avulsis aut saltem in ambiguo habitis, quotquot ante acceperat, dogmatibus, quilibet sibi per-

(1) *Instit.* lib. I, c. 7, § 1, fol. 14.

missus sine *præjudicata,* ut ait Semlerus, circa quodvis dogma opinione, Scripturæ interpretationem instituerit? Id quippe postulat protestantismi regula. Atque hujus capitis historiam paucis attingentes apertius etiam videbimus nusquam ferme pseudo-reformationis præcones sibi constitisse, et porro illius methodum, si ad praxim demum fuerit vel aliquantulum accommodata, impietatis æque ac scepticismi fontem uberrimum deprehendi. Unde tandem id consequatur necesse erit, privati examinis principium vel ex sola historia usque adeo a religionis, imo et naturæ legibus alienum comprobari, ut in usum adduci aut omnino nequeat, aut saltem non adducatur quin tollatur religio vel etiam ipsius humanæ naturæ ingenitus veri sensus. Ad rem illustrandam properemus.

An ergo a protestantismi exordio cuique integrum erat summa animi libertate Scripturas interpretari atque ex his, pro suæ rationis judicio, quæ sibi religionis essent promere, quin ullius mortalium doctrina auctoritateve ullo pacto regeretur aut prohiberetur? Operosa certe non est responsio, in apertis namque versamur; et idcirco rem breviter confecisse satis erit. Quid igitur? Paulisper oculos conjiciamus in eas, quas vocant, ecclesias Lutheranorum, Calvinianorum, Anglicanorum : quid apud eas offendimus? Extant fidei confessiones, extant symbola, coguntur synodi. Lutheranis est sua fidei confessio, sæpius correcta quidem, at firma tamen, in qua definiuntur ea religionis capita quæ ut vera habent ac venerantur. Hæc porro quemvis Lutheranum edocent pastores, ipsique jubentur ad eorum normam ceu ad lydium lapidem exigere quas elicere voluerint e Scripturis interpretationes : quidquid ab illa fidei confessione dissentit, id ut germanus Scripturæ fœtus haberi nequit, sed *a priori* ut merum petulantioris ingenii commentum rejicitur. Nequaquam ergo Scripturarum interpretatio citra ullam de quovis dogmate præjudicatam opinionem instituitur, sed contra ad *analogiam fidei ecclesiasticæ* peragenda statuitur. Tantum abest ut Scriptura ceu fons doctrinæ unicus ac norma cuilibet habeatur, ut contra eo tantum consilio adhiberi videatur ut sectæ dogmata rata fixaque cuivis ante tenenda confirmet et contra adversarios tueatur. Catholicam Ecclesiam, e qua mox tumidi exierant, protestantes velut inscii imitabantur : hæc, quoniam profitetur se integram illibatamque Domini doctrinam in sinu gerere, prohibet ne quis unquam Scripturas intelligat contra ea quæ tenet dogmata; Christus quippe, cujus sunt et Scripturæ et Ecclesia, sibi adversari nequit : hinc optimo jure, quin et necessario illum interpretationis canonem prædicat Ecclesia. Eamdem methodum suî immemores inibant primi protestantes.

Theologi protestantes recentiores omnes fere nobiscum confitentur majores suos haud recte sui principii vim ac indolem fuisse assecutos, sed velut inscios eamdem prope viam in interpretandis sacris Litteris tenuisse quam catholicam sequebantur et etiamnum sequuntur : quod quidem Luthero atque ejus discipulis antiquioribus benigno animo condonant;

illis quippe satis fuit germanum, inquiunt, exegeseos canonem sensisse ac statuisse, si modo deinceps theologi eum evolvere atque ad Scripturas ex toto accommodare curaverint. Sic Tittmann, vir sane eruditus, postquam notavit, quo tempore prodiit pseudo-reformatio, sacram exegesim eo præcipue tendere consuevisse, ut dogmata prius accepta confirmaret aut contra adversarios tueretur, ait quidem principium a Luthero constitutum huic methodo plane repugnare et idcirco multum incrementi inde Scripturarum interpretationi accessisse. « Attamen, pergit ille, ab exordio principium illud haud penitus intellexere reformatores, et Scriptura, ut antea, dogmatibus aliunde acceptis confirmandis defendendisve tantum pene inserviebat : quemadmodum catholici, ita et protestantes ab hac norma proficisci solebant, dogmata prius tradita necessario in Scripturis reperiri, aut saltem nihil inde quo convellerentur duci posse. Semper igitur ex præjudicatis opinionibus Scripturas interpretabantur theologi. Quin etiam, ait auctor, sæculo XVII theologi nondum inquirunt ex solis Scripturis quæ tandem sit vera Christi doctrina, sed suî perpetuo obliti sacrum Evangelium docere pergunt quale a majoribus acceperunt : nondum dogmaticis cognitionibus libera cernitur exegesis, sed theologiæ dogmaticæ et polemicæ ancilla ac veluti pedissequa habetur. Imo vero ineunte sæculo XVIII vigebat adhuc prisca methodus, atque ignota pene erat sacrorum librorum *crisis libera et scientifica.* Sic quod speciatim ad inspirationem attinet, ea ante omnem investigationem ut certa ac immota habebatur, quum tamen tantum absit ut ceu interpretationis inquisitionisque fundamentum jure poni possit, ut contra non nisi ipsarum investigationum fructus atque exitus esse queat : Scripturæ quippe, ubi interpretatio instituitur, eodem prorsus loco habendæ sunt quo quilibet libri profani. At id nondum percipiebant theologi (1). »

Eadem fere in antiquos protestantes notat Bretschneider. « Quævis secta christiana, inquit, Scripturam interpretabatur secundum sua dogmata, atque in ea inveniebat quidquid ibi quærebat seu potius eodem ex præjudicatis opinionibus afferebat. Hinc acerrimæ disceptationes inter variarum sectarum theologos, dum suæ sectæ dogmata quisque in Scripturis esse contenderet atque alia ex iisdem refellere ac damnare conaretur (2). »

Itaque suæ methodi plane immemores eamdem quam apud catholicos maledictis lacessere consueverant ipsi sectabantur protestantes; idem enim de Calvinianis aliisque dicendum quod de Lutheranis vidimus.

(1) Tittmann, *Pragmatische Geschichte der Theologie und Religion in der protestantischen Kirche.* Leipzig, 1824; vid. p. 67, 69, 73, 74, 79, 80, 120, 121, 122.

(2) Bretschneider, *Die historisch-dogmatische Auslegung des N. T.* Leipzig, 1806; vid. p. 44 et 45.

Utrinque quilibet privatus jubetur Scripturas intelligere ad analogiam fidei ecclesiæ suæ : symbola et confessiones veræ doctrinæ tessera prædicantur, quam qui tenere recusat, sectæ communione pellitur; imo vero ut hæreticus atque a Christo et proinde a salute prorsus alienus damnatur. Utrinque synodi sæpius coactæ sunt quæ doctrinæ symbolum definirent cuivis tradendum ac sine ullo examine suscipiendum, ea quidem lege ut anathemate percelleretur is qui illud venerari et credere recusaret. Stupenda sane mentis cæcitas miraque admodum repugnantia! At ea est necessaria erroris conditio, ut nusquam sibimet undequaque constare queat : consistere enim ac vivere non potest nisi secum pugnet atque aliquid veri quo nutriatur arripiat.

Illam majorum repugnantiam merito irridet Lessing, dicens se libentissime Romanum Papam accepturum si pastores Lutherani, veluti totidem *Papæ*, interpretationis normam tradere velint (1).

§ 2.

PSEUDO-REFORMATIONIS METHODUM PLURIMI PROTESTANTES SERIO ANIMO AD PRAXIM ACCOMMODARE INCIPIUNT.

Verumtamen, quamquam plerique theologi auctoritatis viam sequerentur, non omnes in repugnantia tam aperta diu perseverare potuerunt. Plurimos brevi eo adduxit vis logica, ut intelligerent vel erroris arguendum protestantismum, vel quo nititur principium serio animo ad praxim accommodandum. Non assequebantur quo tandem jure a qualibet secta damnari atque excommunicari possent qui, sincera fide Scripturas pervolventes, in his non conspiciebant istius sectæ dogmata. Aiebant ergo absonum esse Scripturarum intellectum ad symbolorum normam exigere velle. Hanc sententiam tenuere ac propugnavere Sociniani et Arminiani, negantes se quovis pacto symbolis ligari; quo, recte ait Strauss (2), multo magis quam cæteri methodo protestantismi inhærebant. Quam maxima igitur animi libertate legendas explanandasque sacras Litteras statuebant præsertim Sociniani; quid autem inde acciderit, historia testatur.

Quoniam nulli dogmati *positivo* fidem habebant priusquam Scripturam adirent, adeoque nec Trinitatem, nec Christi divinitatem, nec alia quæcumque religionis supernaturalis capita credebant, ea tantum in Scripturis *conspicere* ac probare decreverunt quæ intelligerent, reliqua vero, si quæ occurrere *viderentur* rationi impervia, ita interpretari, ut tandem

(1) Lessing, *Anti-Götze*, tom. I.
(2) *Die christliche Glaubenslehre*, 1840; tom. I, p. 112.

rationalia fierent : atque hac lege christianismum funditus tollebant eique mancum supponebant rationalismum.

Nec idcirco tamen ab ullo protestantium damnari jure poterant; Scripturas quippe, ut cæteri omnes, sese suscipere gloriabantur; sed quoniam eorum animus, ut par erat, a quovis christiano dogmate antea alienus exstabat, id ipsis multo tutius videbatur, nihil recipiendum præter ea quæ rationi pervia forent. Et vero in iis tantum enuntiandis Scriptura ipsis clara et perspicua deprehendebatur, in cæteris omnibus obscura et ambigua. Quod si offendebant aliquem locum in quo dogma quoddam supernaturale prædicari videbatur, non ideo ibi a Deo reapse doceri ejusmodi dogma agnoscebant, sed aiebant sanæ rationis præceptum esse tum existimare a sacro scriptore locutiones tropicas aut etiam allegoricas fuisse adhibitas, adeoque in alium sensum quam sonent illas esse trahendas.

In hunc modum de divina Christi Domini satisfactione loquitur Faustus Socinus : « Nequeo satis mirari, quid iis in mentem venerit, qui nobis primi istam satisfactionem fabricarunt, cum ea quæ fieri non posse aperte constat, divinis etiam oraculis ea facta fuisse *in speciem* diserte attestantibus, nequaquam admittantur (et idcirco sacra verba in alium sensum quam ipsa sonant, per inusitatos etiam tropos, quandoque explicantur) (1). »

Itaque non ad analogiam fidei symbolorum, sed *ad analogiam rationis* Scripturam interpretabantur Sociniani. Dubio procul vim persæpe verbis sacris inferebant, at germani tamen protestantes erant, quod privato ac liberrimo judicio Scripturas explanabant : quin etiam, semota, ut postulat pseudo-reformationis methodus, qualibet christiana institutione ante accepta, putem ego Socinianos ex solis Scripturis adversus protestantes theologos argumentando causam suam crebro vincere potuisse.

Reliquæ tamen protestantium sectæ Socinianos damnabant atque a salute alienos prædicabant. At non ita sentiebant aliquammulti doctores, qui, ut modo innuimus, haud assequi poterant quo jure inter protestantes alii alios damnarent.

Hinc ortum systema illud quod *Latitudinarismi* nomine veniebat, quodque in eo versabatur ut nullum fere dogma theoreticum omnibus ad salutem necessarium haberetur, adeoque nulla secta a salute excluderetur. Sententia illa multos brevi nactus est sectatores tum in Anglia, tum in Gallia, tum etiam in Germania. Non omnes tamen pari gradu latitudinarismum seu *tolerantismum* tuebantur; alii enim quædam etiam dogmata, etsi paucissima, necessaria sentiebant, sed plerique a salute nequaquam excludendos aiebant eos omnes qui id crederent tantum quod sibi in Scripturis perspicue traditum videretur.

(1) *De Christo servatore*, III, c. 7. *Biblioth. Fr. Pol.* I, 2, p. 204.

Sic ex protestantibus Anglis vir celeberrimus Chillingworth id in universum constituit : in iis quæ religionis sunt, ut quis obtemperare debeat, adsit necesse est judex qui falli non possit; quoniam autem ex protestantium principio ejusmodi judex non est, conficitur nullius judicio obtemperandum esse. Quamobrem cuilibet integrum sit eam tenere sententiam quæ sibi magis arriserit : ad salutem quippe satis erit si quisque ex Scripturis credat prout has intellexerit (1).

Papin, qui e protestantismo ad catholicam Ecclesiam conversus est, narrat plurimos alios theologos in Anglia systema istud propugnasse (2); quo factum est ut ipse in eodem confirmaretur (3). Eamdem doctrinam tuebatur Burnetus, ab eodem principio profectus, nullum scilicet esse apud protestantes infallibilem veritatis judicem, adeoque fieri posse ut ii, quos in errore versari Ecclesia censet, reapse tamen veram teneant sententiam (4).

Notum quoque est philosophum Lockium, qui et theologum agebat, huic systemati calculum adjecisse. In hunc prope modum ratiocinabatur auctor ille. Ex protestantismi primario decreto constat dogmata ad salutem necessaria clare et perspicue in Scripturis doceri, et porro ex hoc uno fonte quæcumque religionis sunt quemlibet haurire posse; hinc plane consequitur ea tantum dogmata necessaria esse quæ *omnibus* clara et perspicua apparent in sacris litteris. Liquet autem illa solum clara et perspicua *omnibus* dici posse de quibus inter omnes qui Scripturam legunt seu omnes christianos bene convenit : reliqua ergo quæ ab aliquibus Scripturas pervolventibus negantur aut in dubium vocantur necessaria dici nequeunt, adeoque non interest utrum hæc probentur, an rejiciantur, si ab illis tantum credantur qui ea in Scripturis sibi deprehendere videntur. Nullus igitur alium damnare contendat quod pauciora quam

(1) *Religio protestantium via ad salutem tuta;* vid. *Respons. ad præf. advers.*, c. 2, n. 17 et 26.

(2) Hæc habet ubi verba facit de iis quæ ipsi contigerant dum adhuc in protestantismi errore versaretur : « De Saumur j'allai à Bordeaux, où je commençai à connaître les auteurs anglais. Je les trouvai presque tous déterminés pour le dogme de la tolérance. » Papin, *OEuv.* Paris 1723, tom. I, *Les deux voies opposées en matière de religion, l'examen particulier et l'autorité*, p. 33-34.

(3) « Sitot que j'eus trouvé, inquit, entre les docteurs que les Calvinistes regardent comme orthodoxes, tels que sont ceux de l'église anglicane, plusieurs partisans déclarés de la tolérance universelle, j'y fus tout à fait confirmé, et je demeurai surpris de ce que tant de gens pouvaient se dire protestants, et ne pas voir l'obligation où ils étaient de tolérer ceux qui faisaient profession d'avoir attentivement examiné la sainte Écriture, quelque explication que cet examen les portat à lui donner. » *Ibid.*

(4) Cf. Bossuet, *Sixième avertiss. sur les lettres de M. Jurieu*, part. III, n. 112.

ipse credat dogmata; quisque sibi prorsus permittatur, et ea tantum teneat quæ sibi in Scripturis tamquam perspicue dicta obviam fuerint. Addit demum Lockius inter christianos omnes de duobus dogmatibus convenire, unum esse Deum, et Christum esse Messiam : cætera in controversiam adducuntur. Quapropter duo hæc tantum dogmata in sacris libris perspicue tradita dici possunt, et idcirco illa sola ad salutem sunt necessaria (1).

Ex his jam conficitur quantum, duce protestantium methodo, contrahatur et in angustum adducatur christianismus; ipsa quippe Christi Domini divinitas, qua sublata, universa tollitur œconomia christiana, non amplius in catalogo dogmatum necessariorum censetur. Hinc ad Deismi pene limites reducitur christiana religio. Quid autem si quidam inficiarentur Christum, vel ut Messiam, clare et perspicue in Scripturis designari? Quid si alii sacras litteras pervolvendo sibi viderentur videre in aliquibus locis non unum sed plures Deos satis perspicue prædicari, vel saltem pluribus locis inter se collatis dubium oriri unusne an plures demum dii in Scripturis doceantur? Profecto si sibi constare voluerit Lockius cæterique protestantes, fateantur oportet neque hæc dogmata ad salutem necessaria tum dici posse. Unde tandem consequetur, si cum pseudo-reformationis principio plane cohærere velis, nullum dogma esse creditu necessarium, atque adeo omnes religiones esse pari pretio habendas; quin etiam vel atheum ipsum perinde ac christianum salvari posse. Hinc denique oritur *Indifferentismus* ille, qui sæculo proxime elapso omnium pene philosophorum systemata invasit ac fœdavit (2), quique etiamnum quam plurimos doctorum hominum animos tenet exeditque. Et vero non philosophi increduli tantum, verum etiam nonnulli protestantes theologi eo mox progressi sunt, ut assererent nullum dogma ad salutem esse necessarium, satis autem esse morum præcepta servasse.

In Gallia quidem plures occurrerunt ex protestantibus theologi qui, ut Lockius aliique Angli bene multi, tolerantiæ universæ systema tuerentur (3). Quemadmodum nempe in cæteris regionibus, duplex quoque in Gallia cernebatur theologorum genus : alii pseudo-reformationis prin-

(1) Ea principia pandit et evolvit Lockius in opere cui nomen fecit : *Le christianisme raisonnable*, ex anglico idiomate in gallicum verso, 1715. — Ex Anglis similia quoque tuebantur principia Guillelmus Poppellus in opere : *A rational catechism;* — Glanvill : *Y catholick carity*, *sermon;* — Edwardus Fowler : *Y design of christianity.*

(2) Nota sunt illa philosophorum principis Voltairii verba : *Soyez juste*, *il suffit*, *le reste est arbitraire.*

(3) Hic de tolerantia dogmatica tantum, minime vero civili, sermonem esse non opus est monere.

cipio formali firmiter inhærendum sentiebant, quicumque tandem privati examinis exitus esset; alii vero non tam methodo quam doctrinæ in symbolis et confessionibus definitæ standum arbitrabantur. Inter hos postremos sæculo XVII eminet Jurieu, qui damnandos aiebat quosvis theologos a certa quadam doctrinæ norma desciscentes. Quum autem ipsi a tolerantiæ defensoribus objiceretur protestantismi methodus, candide admodum respondebat principium hoc nequaquam ita accipiendum esse, perinde ac si serio animo ad usum accommodari posset, sed adversus catholicos tantum fuisse constitutum, et propterea contra hos solum valere. Hinc vehementi iracundiæ æstu reprehendit atque ut religionis hostem exhibet doctissimum Papin, qui liberi examinis viam in omnibus sectandam ducebat (1). Ex quo duo mihi confici videntur : prius quidem probe perspexisse Jurieu methodum protestanticam iniri non posse quin brevi de universa religione actum fuisset; posterius autem, fatentibus candidiori istius ministri ore omnibus rigidioribus theologis, nequaquam ut in se veram, sed ut merum rebellionis instrumentum invectam fuisse istam methodum.

Operæ pretium censeo in medium quoque adducere alterum ejusdem ætatis theologum, qui aperte confitetur necesse esse doctrinam a majoribus acceptam, veluti depositum quoddam sacrum, integram illibatamque citra examen custodire; secus enim brevi protestantismum sublatum iri. Theologus iste, qui in Hollandia commorabatur, scribit ad congregationem Genevensem antiquis Calvini decretis pervicaciter inhærentem atque tolerantiæ thelogicæ hostem acerrimam. Postquam commemoravit se Genevensem ecclesiam semper habuisse ut secundum a Scriptura pondus sanctuarii, quo quælibet doctrina appendenda sit, ait sese, istius congregationis exemplum secutum, perpetuo in sacra theologia docenda summo studio curasse ut *ab antiqua traditione nusquam descisceret.* Et

(1) Hac ratione in epistola pastorali ad suos Calvinianos directa Jurieu virum clarissimum carpit : « Mes frères, je vous demande que vous fassiés avec moi quelques observations sur cette manière de justification de M. Papin *sur le chapitre de la Tolérance.* La première, c'est qu'elle est tout à fait frauduleuse et de mauvaise foi. Il se couvre du PRINCIPE GÉNÉRAL de tous les protestans, sçavoir que nous ne sommes obligés de croire et de recevoir comme article de foi, que ce qui est dans l'Écriture sainte, *et cela en vue de ne point accepter pour articles de créance une infinité de fausses docrines que le Papisme a canonisées, et qu'il appuie par ce qu'il appelle Tradition.* Mais ce principe n'a rien de commun avec celui de M. Papin, qui prétend qu'on ne doit obliger personne à tenir pour article de foi que les mots exprès de l'Écriture sans aucune explication, et qu'il doit être permis à chacun d'interpréter ces mots comme il le juge à propos, le socinien à la socinienne, le Papiste à la Romaine : *principe aussi pernicieux que le notre est bon et excellent.* » *Lettre Past.* p. 9, col. 1, ap. Papin, tom. I, p. 45.

vero Genevenses doctores enixe hortatur, ut eamdem in perpetuum viam teneant, prohibeantque quominus novæ doctrinæ in hac regione radices agere possint : notat etiam Dordracensem synodum omnibus Calvinianis œcumenicam esse, adeoque veræ fidei tesseram referre, a qua nefas sit discedere velle. Addit porro hac sua ætate, maxime in Hollandia, quemvis sibi fas ducere nova dogmata in lucem prodere; quod quidem, ait, cruentis lacrymis sæpius deflens contueor, *veritus ne ea opinionum varietas, isque a priscis decretis discessus, atque hæc tandem linguarum babelica confusio protestantismi ruinam portendant* (1).

Liquet ergo tum ex gestis, tum etiam ex verbis theologorum protestantium, Scripturæ interpretationem cujusvis privati judicio permitti non posse, quin mox plane convellatur ipsa religio, hancque ea tantum lege consistere, ut traditionis atque auctoritatis methodus teneatur. A religionis igitur indole et natura prorsus abhorret protestantismi methodus.

Plurimi tamen, iique pernobiles sane theologi, liberi examinis principium non adversus catholicos modo, sed universe verum, adeoque in omnibus serio adhibendum existimabant. Hos inter præcipuum locum occupat Papin, qui, quoniam suam de tolerantia doctrinam dedita opera exposuit, nobis potissimum erit adeundus; recte enim perspexit et tradidit quo demum indifferentismi progrediendum sit protestantibus qui sibi constare voluerint.

Porro protestantismi principium perpendens, mox intellexit vir acutissimus nullum theologum ab alio damnari posse propter dogmatum diversitatem. In hunc quippe modum ratiocinari posse sibi videbatur : inter doctores convenit uni Scripturæ rationem privatam esse subjiciendam; aiunt quoque Scripturam hanc in iis omnibus quæ ad fidem spectant perspicuam esse, nec ullo egere interprete infallibili. Quod si ita est, liquet nequaquam per se clara, adeoque nec ad salutem necessaria dici posse loca ea de quorum intellectu non consentiunt : debent igitur sese invicem tolerare doctores circa diversos quos Scripturæ subjiciunt sensus (2). — Id profecto sponte consequitur ex pseudo-reformationis

(1) His verbis epistolam finit auctor : « J'avoue qu'en ce temps, et surtout en ce pays, chacun se donne la licence de débiter quelque chose de nouveau. Ce qui me tire souvent du cœur des larmes de sang, appréhendant que cette variété d'opinions, *cet éloignement des bonnes et anciennes maximes, et cette confusion de langues mieux séante à Babel qu'à Sion*, NE PRÉSAGE NOTRE RUINE. Mais c'est pour cela... que je vous prie, par les entrailles de la miséricorde de Dieu, de prévenir un semblable mal, et de *rester unanimes* EN LA TRADITIVE COMMUNE, *et aux sentiments de vos anciens héros;* afin d'éclairer aux autres par votre exemple à sentir une même chose, et ainsi servir d'une même épaule à l'édification publique. » Desmarets, — ap. Papin, tom. I, p. 19-23.

(2) « Nos docteurs, inquiebat, ne se croient pas infaillibles, ils ne veulent

primaria lege; sed quoniam nullus pene est Scripturæ locus de cujus intellectu plane consentiant omnes, conficitur nullum ferme dogma perspicue in Scripturis enuntiari et idcirco ad salutem necessarium haberi posse : quo posito funditus labefactatur religio. Hanc autem suæ argumentationis sequelam non statim perspexit ipse Papin (1); lento enim passu graditur mens humana, nec plerumque ab initio prævidet omnia alicujus principii consectaria. At brevi tamen, rem penitius inspiciens, eo processit præstantis ingenii vir, ut intelligeret a protestantibus damnari non posse eos omnes qui sacram Scripturam ceu fidei normam sequi profiterentur. Si quippe, aiebat, Scriptura, ut credimus, per se aperta et perspicua sit atque ad salutem sufficiat, consequitur controversias omnes quæ nunc moventur aut quondam motæ fuerunt circa Scripturæ sensum nequaquam spectare ad capita saluti necessaria : secus enim tolleretur dogma illud, Scripturam per se perspicuam esse in rebus necessariis (2).

Hoc autem constituto, mox vidit Papin omnes sectas esse tolerandas, neminemque, licet nullum dogma crederet, jure damnari posse; hac vero ratione penitus everti christianismum tandem attonitus animadvertit (3). Tum porro mentis oculos perhorrescens aperuit, probeque perspexit necessario falsum esse habendum protestantismum, utpote cujus vera ac germana methodus ad ipsam religionem christianam prorsus convellendam nata videretur. Quoniamque religioni ipse addictissimus

pas que l'on soumette sa conscience à leur autorité; ils veulent qu'on la soumette uniquement à l'Écriture sainte; ils croient que cette Écriture est claire d'elle-même sur tous les articles de foi, sans le secours d'aucun interprète infaillible. Si cela est, les endroits sur lesquels ils ne s'accordent pas, ne sont pas clairs d'eux-mêmes, ni par conséquent nécessaires au salut : ils sont donc obligés de s'entre-supporter dans les divers sens qu'ils lui donnent. » Tom. I, p. 16-17.

(1) « Je n'aperçus pas tout d'un coup que cela allait à supporter tous les hérétiques du monde : je n'en faisais l'application qu'à mesure que les objets se présentaient. » *Ibid.*

(2) « Voici comme je raisonnai : Nous faisons profession de croire que l'*Écriture est claire d'elle-même et suffisante pour le salut.* De là nous ne saurions nous dispenser de conclure que toutes les disputes qui sont et qui ont jamais été à l'occasion du sens de l'Écriture, ne regardent pas des points nécessaires au salut. Car s'il était possible que sur des points essentiels à la foi, nous ne nous accordassions pas dans l'explication de l'Écriture, quoique chacun en cherche le vrai sens avec attention et avec sincérité, *il ne serait pas vrai que l'Écriture fût assez claire d'elle-même sur les choses nécessaires au salut.* Ainsi quelque controverse qu'il puisse y avoir entre ceux qui prennent l'Écriture pour la règle de leur foi, *si nous sommes de vrais protestants*, nous les devons supporter tous, et les reconnaître pour nos frères. » Tom. I, p. 29.

(3) *Ibid.* p. 116.

erat divina etiam gratia illuminatus ac commotus, Ecclesiam catholicam adire decrevit, eique demum nomen dedit.

Supra diximus propter hæc tolerantiæ principia dire admodum exagitatum fuisse Papin a ministro Jurieu, cujus præcipuum munus esse videbatur injuriis lacessere eos omnes qui protestantismi methodo serio animo inhærendum censebant. Verum dogmaticam eam tolerantiam, et idcirco indifferentismum, usque adeo efflagitat pseudo-reformatio, ut nec ipse Jurieu, simul atque non injuriis modo sed et ratiocinio rem agere voluit, ab hac labe immunem se tueri potuerit. Et vero in suis operibus de *systemate Ecclesiæ*, et de *unitate Ecelesiæ* (1), ejusmodi constituit principia quibus omnium ætatum hæretici ad Ecclesiam pertineant. Quo quidem ministri indifferentismo commotus ipse mordax ac scepticus Baylius, adversus illum opus exaravit cui nomen fecit : *Janua cælorum reserata cunctis religionibus a celebri admodum viro Domino Petro Jurieu ;* et porro hoc acute dictum præfixerat : *Porta patens esto, nulli claudatur honesto.*

Ex quo planum fit ipsum Jurieu, ad protestantismum quomodocumque tuendum, eo demum indifferentismi procedere coactum fuisse, ut, nisi secum apertius pugnare vellet, ipsi fatendum esset nullum dogma ad salutem esse necessarium.

Minister equidem, versutiis magis quam sanæ rationi assuetus, effugium sibi reperire videbatur quo et latioris indifferentismi notam declinaret et protestantismi methodo aliquatenus saltem inhærere censeretur. Probe distinguendum aiebat inter articulos fidei, quos vocabat, *fundamentales* et articulos *non fundamentales :* illos asseverabat clare et perspicue in Scripturis doceri atque omnibus pene protestantibus communes, adeoque ad salutem necessarios, hos vero non item. Hæc distinctio nova non erat; plures enim theologi protestantes sæpius de dogmatibus necessariis et non necessariis locuti fuerant, ea ratione, ut prioris generis capita perspicue cuivis obvia in Scripturis paterent, non item posterioris. Id autem nihil juvat protestantium causam. Quæritur enim ad quam tandem normam exigendi sint articuli fundamentales et non fundamentales, quove pacto deprehendatur qui ad salutem necessarii, qui non necessarii sint habendi? Ex Scriptura procul dubio. Verum alii aliter Scripturam interpretantur, idque pari privati examinis jure, nec ullus ferme superest locus de quo omnes consentiant : ergo nisi tuam methodum mittere decreveris, semper fatearis oportet nullum fidei articulum esse vere fundamentalem sive ad salutem necessarium, quemque autem ut germanum Christi discipulum existimandum, si modo sincere credat id quod verum arbitretur (2). Quocumque igitur sese vertant protestan-

(1) *Le vrai système de l'Église* — et *Unité de l'Église.*

(2) Bossuet in VI admonitionis ad protestantes parte III refert et confutat

tes, eo brevi deveniant necesse est ut nullum dogma ad salutem necessarium dicatur. Quicumque sibi aliqua ratione constare voluerunt, id demum confiteri sunt coacti.

Et vero sæculo XVII ubique propugnatores acerrimos nacta est ea de tolerantia doctrina. Plurimi ex germanis theologis illi calculum adjecere et eadem in Hollandia communis erat, ut jam ex epistola Desmarets supra vidimus (1). Inter Germanos potissimum nominandi sunt Strimesius (2), Leibnitius, Christianus Thomasius, Breithaupt (3), Conradus Bergius (4), Joannes Bergius. Hi omnes sentiebant neminem damnandum qui Scripturas sequi voluerit, etsi fortasse nullum pene dogma in iis deprehendere sibi videretur; plures autem diserte aiunt ad salutem sufficere bonos mores, nec opus esse ut fides ulli dogmati theoretico adhibeatur. Sic Thomasius in unius amici memorialem librum hoc edidit apophtegma : « Non est sapientia *verum scire*, sed rectum facere. — Prudentia vero recti non est scientia, sed fides. *At non fides cerebrina;* alias esset scientia ... sed fides cordis, cum ratione non pugnans, sed eam perficiens (5). »

Simili ratione doctissimus Leibnitius ad Pelissonem, ex protestante catholicum, scribens, in eam se facile adduci sententiam ait ut credat, « Nullum articulum revelatum esse simpliciter necessarium, adeoque salutem haberi posse in quacumque religione, modo Deus vere et super omnia diligatur amore in infinitis ejus perfectionibus fundato... Amorem hunc id totum esse quod pietati maxime est essentiale, ita ut, apud quos reperitur, illi et Spiritus sancti gratia perfusi sint, et arctissimo nexu æterno Verbo divinæque Christi sapientiæ conjuncti, etiamsi nequidem Christum satis cognoscerent secundum carnem : imo vero, vel si nunquam hujus nominis syllabas audiverint... tanti esse *bonam fidem*, *ut nullus articulus capitalis seu fundamentalis sit præter Dei amorem filialemque obedientiam* (6). »

En quo tandem ducat tolerantiæ dogmaticæ systema, ut quælibet religiones et sectæ indifferentes existimentur, nec amplius de earum veritate aut falsitate curandum statuatur; quo fit ut Verbi divini incarnatio eaque quam hominibus attulit divina revelatio pro nihilo habeantur.

signa atque argumenta plane ridenda et fanatismum redolentia, quibus judicandum aiebat Jurieu inter articulos fundamentales et non fundamentales.

(1) Eam scilicet tuebantur universe Arminiani, Sociniani, Brownistæ, Mennonistæ, Poiretistæ.

(2) Cf. *Præfat.* quam præfixit operi mox laudando Conradi Bergii.

(3) *Theses credendorum atque agendorum fundamentales.* Hallæ Sax. 1701, thes. 5.

(4) *Themata theologica.*

(5) Hal. Sax. 1701.

(6) Ap. Pelissonem in opere : *De la tolérance des religions*, p. 12.

Neque vero permiscere fas est scepticum illud Deoque maxime injuriosum indifferentismi decretum cum ea plurimorum theologorum catholicorum sententia, aliquem salvari posse qui fidem in Christum ipsum explicitam non habeat, si modo vinci non potuerit ista in qua versetur ignorantia. Nequaquam enim indifferentismum constituunt theologi nostri, sed ab eo prorsus abhorrent. Quid igitur? Id principii loco sibi assumunt catholici omnes, dogmata quædam definita ac determinata esse a Deo revelata, eademque minime ad salutem *indifferentia* quopiam pacto haberi posse, sed omnibus omnino hominibus tradenda ab eisque suscipienda et firme credenda esse, ea quidem lege, ut *de providentia Dei ordinaria* salvari nequeant quicumque illa non crediderint. Quæ porro ut omnibus in universum hominibus innotescere possint atque ita ab iis credi, profitemur Deum haudquaquam eum esse qui dogmata revelaverit ac repente abierit, illa fortunæ quasi permittens, sed pro sua sapientia auctoritatem firmam ac æternum immotam in terris instituisse, cujus perpetuum munus sit revelata dogmata integra illibataque custodire, atque ea quoslibet homines docere : hi vero Ecclesiam audire debent eique obsequium præstare, doctrinam quam ubique terrarum prædicat accipientes credentesque. Quod si tamen accidat ut aliqui homines internæ gratiæ fideliter respondentes et facientes, ut aiunt, *quod in se sit*, tota vita, sic disponente Deo, Ecclesiam populorum magistram divinitus institutam nesciant, atque ita, hoc deficiente magisterio, in ignoratione revelatorum dogmatum, imo et ipsius Christi sine sua culpa versentur, tum plurimi theologi, quibuscum perlibenti animo et nos facimus, illorum salutem haud desperant; sed existimant, si alias reliqua adfuerint requisita, nihil prohibere quominus ii in beatorum consortium in cœlis adsciscantur.

In his autem nihil cernitur quod indifferentismum protestantium vel aliquantulum redoleat. Verum enimvero docemus quemvis hominum *debere* in universum cognoscere ac credere quæ Deus revelavit : unde cuilibet oritur *officium* ea, si nondum noverit, inquirere a summo magisterio divinitus inter homines constituto; quo quidem reperto amplius fas esse nequit vel ullum ex revelatis, quæ prædicat, dogmatibus rejicere aut in dubium vocare. Itaque quum dicimus fieri posse ut quis sine Christi cognitione salutis particeps efficiatur, id nequaquam ut principium sive legem œconomiæ salutis communem statuimus, sed ut meram legis *exceptionem*. Protestantibus contra ea, quam dicimus, *exceptio*, *legis ac principii communis* rationem habet. Quoniam, horum probata methodo, consequitur nullum dogma firmum consistere, aiunt illi in universum nullum doctrinæ caput speculativum esse necessarium, et in qualibet secta salutem æque obtineri posse, neminem proinde *teneri* inquirere ac magistros rogare an et quæ Deus revelaverit dogmata, quodque *medium* instituerit quo ea hominibus innotescerent; sed satis esse docent si

quis, omni dogmate posthabito, morum præcepta, prout novit, servaverit. Quæ quum ita sint, liquet toto cœlo distare hoc scepticum ac impium commentum a catholicorum theologorum doctrina. Vehementer ergo in hanc rem peccat Leibnitius, vir alias spectatissimus et mira ingenii acie præstantissimus, quum asseverat nonnullos catholicos theologos eamdem quam proponit tenere sententiam (1). Sed hæc hactenus.

In iis rudioribus quidem, at sat perspicuis tamen, quæ historiæ methodi protestantismi pro instituto nostro duximus lineamentis, absonam perinde ac exitiosam istius methodi indolem jam contueris. Plerique enim ex protestantibus, præsertim pseudo-reformationis initio, suum principium ad usum accommodare noluerunt, id probe assecuti, una cum ipso diu consistere non posse religionem; atque ideo auctoritatis viam, quoad ejus fieri posset, per omnia ineundam constituerunt. Quin etiam planum est exordio plerosque theologos privati examinis methodi indolem nequaquam perspexisse, imo toto illo quod perlustravimus temporis spatio nullum forte ejus naturam penitus esse consecutum.

Rogo autem quid tandem sit ejusmodi religionis institutum, cujus principium, quod fundamenti instar habetur, fatentibus aut tacite aut etiam diserte ipsius sectatoribus, usque adeo a religionis legibus alienum est, ut eo stante hæc tollatur? Rogo quid demum judicandum sit de istiusmodi methodo quæ tantopere a consueta naturæ via et idcirco ab ejus legibus abhorret, ut nec a suis fautoribus intelligi posse videatur, nec minime ad usum adduci queat? Procul dubio ubi talia occurrunt, non amplius sub judice lis est, nec diutius ambigendum; sed ut merum tardioris petulantiorisve ingenii commentum explodenda est ista methodus. At vero, hac ratione nutante fundamento, quo pacto consistere possit ædificium haud sane intelligo.

Fuere equidem qui protestantismi methodo aliquatenus saltem inhærere voluerunt; sed quid ipsis contigerit vidisti. Brevi illos eo adduxit vis logica, ut agnoscerent neminem ut a vero alienum damnari posse, tolerandos eos omnes qui Scripturis se obsequium præstare profiterentur, sive plura sive pauciora sive etiam nulla fortasse dogmata satis perspicue tradita existimarent. Hinc ortus ille indifferentismus atque etiam *subjectivismus*, quorum prior statuit ad salutem sufficere morum præcepta servasse, omnes autem religiones, quatenus dogmaticæ sunt, prorsus indifferentes esse; posterior vero decernit id cuivis ut verum tenendum quod ipsi ita videatur, nec necesse esse inquirere an reipsa et *objective* illud verum sit necne; atque ideo nihil aliud est subjectivismus quam indifferentismi systema explicatius declaratum.

Hoc systema tuebantur theologi omnes qui, pseudo-reformationis principio constantes, docuere quemque sibi permittendum in deligenda e

(1) Ap. Pelisson.

Scripturis doctrina, idque cuivis necessario tantum credendum quod inibi ut certum ipsi obviam fuerit; manifestum enim est fieri non posse ut variarum sectarum opposita placita simul re ipsa et *objective* vera sint; at quisque tamen *credere ac verum habere* debet quod sibi in Scripturis perspicue deprehendere videtur; alius verum judicat id quod alter falsum declarat; cujusque igitur hominis mens fit norma ac mensura veritatis revelatæ, quæ æterna licet ac divina, sese fingere et accommodare debet ad humani ingenii nutum, atque ita quidem ut naturam prorsus suam exuat, ac, ceu fictitium quid, in dies immutetur, prout quilibet homo judicare voluerit; quo sane nihil absurdius dici potest (1). Neque hoc consectarium ulla ratione vitari potest apud protestantes, simul atque statuas illud cuivis esse fide tenendum quod sibi verum videatur. Porro una cum isto subjectivismo consistat necesse est scepticismus *objectivus*. Quoniam enim alii alia affirmant, nec alter in re quavis astruenda alteri jure præstat, conficitur nihil reapse ac objective certum dici posse : quo constituto omnis de medio tollitur veritas.

Quid autem de indifferentismo illo, quo sponte plurimos eosque haud ignobiles theologos duxit protestantismi methodus, existimandum sit nemo est qui non videat. Cum sana ratione quam maxime pugnat; pugnat cum summa Dei sapientia. Veritati quippe ac errori par jus ac momentum tribuitur; docetur nihil hominis interesse verumne an falsum teneat; statuitur humanam mentem mendacio æque ac veritate nutriri posse, adeoque *nihilo* eamdem vim inesse ac ipsi *esse;* quo quid portentosius cogitari potest? Atque maximam demum Deo irrogat injuriam principium quo nititur indifferentismus; ait quippe dogmata quæ Deus hominibus revelavit certo ab homine cognosci non posse. Quid, quæso? decernit Deus quasdam veritates hominibus tradere, sed ita suî oblitus cernitur ut medium quoddam tutum ac hominibus pervium quo hi istarum veritatum notitiam assequerentur instituere non curaverit? Adeone ergo impius

(1) Argumentum hoc recte ita evolvit Gioberti : « Sans la voie d'autorité, comment peut-on connaître la parole révélée? Par l'examen. Et qui doit faire cet examen? La raison particulière de chaque individu. Mais si plusieurs individus, en lisant la Bible et en l'anatomisant avec leur raison individuelle, arrivent à des doctrines diverses et opposées, que faut-il faire? Chercher à les accorder. Et si on ne peut parvenir à cet accord? Chacun croira ce qui lui semblera la vérité. Vous légitimez donc la diversité des doctrines religieuses? Oui, certainement, puisqu'on ne peut faire autrement; la conséquence est inévitable. *Mais l'idée révélée est-elle une ou multiple? Elle est parfaitement une, puisque le vrai est unique. Comment pouvez-vous donc admettre différentes croyances, tandis que l'idée est une? Parce que l'idée doit être subordonnée à l'individu, et parce que c'est dans l'esprit humain que réside la mesure du vrai qu'il faut croire, et le vrai n'est point la règle de l'esprit humain.* » *Introduction à l'étude de la philosophie.* Paris 1847, tom. II, p. 293.

ac stultus es, qui summe sapientem providumque Deum cæcis illis ethnicarum gentium diis qui oculos habebant et non videbant similem efficias? At de rebus apertis ne longior excurrat oratio : hæc exposuisse, refutasse est.

Verum id ex hactenus dictis plane confectum est, adeo falsam esse protestantismi methodum, ut ad usum accommodari vel aliquantulum non possit, quin mox penitus extinguatur religio, humanæ mentis leges occidant ac ipse Deus lædatur et idcirco tollatur. Ad alia nunc properemus et pleniorem istius exitiosæ methodi explicationem contueamur.

CAPUT IV.

RATIONALISMUS BIBLICUS E PROTESTANTISMO ORIUNDUS.

Haud infrequenter accidit ut protestantes theologi, revelationi christianæ addictissimi, vehementer querantur quod pseudo-reformationis methodus tanquam rationalismi fons et principium a scriptoribus catholicis sæpius exhibeatur. Imo nec omnes inter se in hoc asserendo consentiunt qui a partibus nostris stant theologi : nonnunquam fit ut mirentur nonnulli dum eam criminationem audiunt, vel saltem non satis assequantur quo demum jure rationalismus e protestantismi latebris sponte ac directe oriundus statuatur.

Res tamen non adeo operosa implicatave mihi videtur, ut multo opus sit molimine ad eam illustrandam. Quid igitur? Duo sunt omnino distinguenda, quæ si probe teneantur, brevi expedita existet quæstio. Initio certe Lutherus ejusque sequaces, super tecta prædicando quemque sibi in religionis negotio permittendum esse, nequaquam rationalismum adsiscere voluerunt; imo vero tantum abest ut rationalismi labe fœdati fuerint, ut contra supernaturalistas exclusorios aut etiam fanaticos haud immerito eos dixeris. Notum quippe est Luthero judice hominem plane passivum esse in salutis negotio, quod ab uno Deo totum perficitur, ita ut Spiritus sanctus quemlibet interius illuminet, nec opus sit eum ab externo magisterio ulla ratione edoceri : cuivis christiano Spiritus sanctus ipse, nullo præter Scripturam interposito medio, magister ac doctor habetur. Hinc eruitur quo sensu pseudo-reformationis artifex suum principium intelligeret. Aiebat nempe ideo nemini opus esse externa auctoritate, quod internum Spiritus sancti testimonium cuique proprium satis superque sufficeret. Inde perspicis ex mente Lutheri multum a

rationalismo abfuisse protestantismi principium; quin potius ita intellectum ad fanatismum recto tramite ducebat, quod quidem eventu crebro comprobatum est.

At vero ubi de alicujus principii indole ac natura ferendum est judicium, parum habetur intellexisse an hoc illove modo ab auctore fuerit intellectum; plerumque enim contingit ut hic sub uno tantum respectu illud conspexerit adeoque non undequaque ejus naturam sit assecutus. Sic, in eo quod versamus argumento, Lutherus principium privati examinis generale constituit, sed ex parte tantum illud contuetur. Et vero, ut rationalismi ex Lutheri principio ortum paucis in promptu ponamus, quoniam illa, quam venditabat, Spiritus sancti inspiratio reapse merum erat somniantis ingenii commentum, duæ statim viæ a protestantibus ineundæ patebant : vel enim quisque suæ imaginationis deliramenta istius inspirationis loco habebat, et oriebatur fanatismus — vel istius commenti falsitate perspecta, quilibet ducebat suæ ipsius soli rationi fidendum in comparanda religionis notitia, nulla amplius recepta inspiratione aut etiam veritate quacumque, nisi prius ad proprii judicii trutinam revocatæ fuissent : atque jam jam nobis dicendum est quî inde ortus sit rationalismus.

Utrinque ergo idem generale principium tenetur, sed diverse intellectum : hoc autem duplici tantum respectu plene tandem illud explicatur et veram suî conscientiam assequitur. Planum igitur est rationalismum ex protestantismi principio ultro oriri potuisse, quin etiam, ut mox docebit historia, debuisse, quamvis id nec voluerint nec viderint antiqui pseudo-reformatores.

Quæ quum ita sint, istius rationalismi ortum ac varia fata jam intueamur.

Quum præsentis operis aut instituti non sit omnia quæ ad protestantium rei theologicæ historiam spectant enarrare, sed ea tantum breviter attingere quæ ad eorum methodi explicationem evolutionemque illustrandam conferunt; quumque in Germania maxime ejus ultima ac veluti suprema progressio apparuerit, ideo de Germania tantum deinceps sumus locuturi. Eo autem ordine ac ratione nobis erit dicendum, ut expositis Ernesti et Semleri principiis rationalisticis, novi hujus systematis præcipua consectaria ac varias formas enarremus, eorum auctorum doctrinam in medium adducendo qui præcipuas rationalismi biblici species referunt; atque ita demum in lucem prodibit quidquid exitiosi erroris in pseudo-reformationis principio delitescit, illudque, quod sæpius dixere Patres, magis ac magis in apertis versabitur, Scripturas ab Ecclesiæ auctoritate sejungi non posse, quin primum perperam intelligantur, brevi autem et ipsæ flocci pendantur et tandem penitus rejiciantur.

§ 1.

EXPONITUR DOCTRINA ERNESTI DE SACRA EXEGESI.

Rationalismi biblici parentem et conditorem Semlerum salutant omnes, quem idcirco summis celebrare laudibus consueverunt quicumque deinceps fuere rationalistæ theologi. At ut hæc vera sint, ut suum tamen cuique tribuatur, monendum est antea Ernesti jam ejusmodi in interpretandis Scripturis statuisse decreta quibus plurimum saltem juvaretur rationalismi causa. Hæc ergo colligere operæ pretium erit priusquam de Semlero verba faciamus.

Anno 1761 Ernesti opus edidit cui titulus, *Institutio interpretis N. T.*, in quo varia pandit præcepta, ad quorum normam suas explanationes exigere debeat interpres. Id autem legis universalis instar esse decernit, sacram Scripturam explicandam perinde ac quemlibet librum profanum, adeoque non ex ante acceptis dogmatibus cujusv.s loci intellectum definiendum, sed ex iis modo critices regulis quæ adhiberi solent in enucleando cujuslibet operis antiqui sensu.

Equidem ratum firmumque apud universos doctores catholicos id quoque habetur, certas quasdam interpretationis ac critices leges probe tenendas esse in Scripturis non secus ac in aliis libris explanandis, et jure optimo Ernesti arbitrariam exegesim vellicat damnatque; at longius quam par erat processit. Si enim, quod postulat ejus principium, non attendatur ad doctrinam prius acceptam, nec ad peculiaria in quibus sacri auctores scripsere adjuncta, qui, rogo, erit interpretationis exitus? Qua ratione sacra consistet inspiratio? Quo pacto stare poterunt ea supernaturalia dogmata e revelationis christianæ fonte orta, quæ ideo tunc temporis nova et inaudita erant, quæque tamen iis vocabulis exprimi debuerunt quæ illa ætate usui erant? Profecto si adfuit revelatio, si nova fuere dogmata scripto mandata, fatearis oportet in iis efferendis doctrinæ capitibus non eumdem prorsus significatum inesse posse certis vocabulis, qui his inerat apud profanos istius ævi scriptores; quas adhibuere voces ab usu communi et vulgari aliquantum deflectere necessario debuerunt auctores sacri. Quamobrem horum interpretatio non iisdem prorsus regi potest præceptis ac cæterorum; necesse est ut rationem habeas adjunctorum plane singularium in quibus versabantur. Oportet igitur ut primum credas revelationem divinam tunc temporis contigisse, cujus retro sæculis ignota dogmata a scriptoribus sanctis exarata fuere. Nisi illud in antecessum tenueris, multum vereor ne, si tibi in interpretando constare volueris, decreta illa ex usu vulgari vocabulorum quibus efferuntur perperam intelligas, vel etiam ea opinionibus illa ætate vigenti-

bus penitus corrumpas, atque demum ad placita mere humana revoces; quod si hoc, constat rationalismum causam vicisse. Quocirca dici potest prima rationalismi biblici semina apud Ernesti occurrere. Pauca ejusdem verba subjiciamus.

Hunc in modum invehitur in eos theologos qui ex prævia fide Scripturas interpretantur, ad eamque, veluti ad lydium lapidem, verborum intellectum expendendum arbitrantur : « Omnino lubrica et fallacissima est ratio sensum verborum e rebus colligendi, cum res potius e verbis eorumque sensu, legitima ratione indagato, cognosci debeant. Potest enim aliquid verum esse, quod tamen non inest verbis : et quid de rebus statuendum sit, e verbis Spiritus sancti intelligi et judicari debere, in promptu est. *Non potest Scriptura intelligi theologice*, verrissimum Melanthonis dictum est, *nisi antea intellecta sit grammatice* (1). »

Hinc grammaticam interpretationem plurimum commendat auctor, aitque eam unam veram ac germanam haberi posse. Plura sane, ut jam monui, recte dicta cernuntur in ea quam exponit ac tuetur methodo; at eadem rationalistica est, quia exclusoria. Hic autem apparet Ernesti principii protestantismi indolem probe fuisse assecutum, ubi docet ad analogiam fidei ante acceptæ nequaquam esse interpreti attendendum, nec theologice, sed grammatice tantum Scripturam exponendam.

Addit porro : « Quæ cum ita sint, illud quoque intelligetur, rationem sensus verborum in libris sacris indagandi non magis esse arbitrariam, quam in ceteris libris, sed pariter adstrictam certis a natura linguarum ductis legibus, eaque de causa perabsurde facere, qui librorum divinorum interpretationem, deque sensu verborum divinorum judicium, humano pontificis Romani judicio subjiciant (2). » Patet eum iisdem omnino exegeseos legibus libros sacros ac profanos subjicere. Quod ad id spectat quod de *humano* Romani pontificis judicio adjicit, hujus loci non est illud refellere : ex alibi dictis jam liquet auctori penitus ignotum esse organismum catholicum, qui, ut postea dedita opera sumus monstraturi, unus est et christianismo et rationi accommodatus. Verum pseudo-reformationis principio obtemperans, belle secum cohæret Ernesti, et eam quam summis laudibus extollit methodum probare debent theologi protestantes omnes.

Hæc quidem præcepta in universum immotæ normæ instar interpreti bene tenenda censet doctus scriptor. Attamen nondum penitus e sacræ interpretationis limitibus pellit omnem analogiæ fidei usum, atque ita aliquantulum saltem contrahit coarctatque eam quam statuerat legem generalem, et minus cum protestantismi methodo cohæret. « Itaque, inquit, res et analogia doctrinæ, quam dicunt, hactenus modo prodest in

(1) *Institutio interpretis N. T.* p. I, sect. I, c. I, n. 18.
(2) *Ibid.* n. 20.

interpretando, ut in verbis vel a multitudine significationis, vel a structura, vel alia qua caussa, ambiguis, ducat nos ad definiendam verborum significationem (1).» Perangustum quidem jus et usum analogiæ doctrinæ vindicat auctor, nec multum profecto a lege sua generali deflectit, quippe qui in eorum tantum verborum, quæ adhibitis omnibus interpretationis communis adminiculis obscura maneant, sensu indagando aliquid pretii isti analogiæ tribuit. Itaque dici potest firmum consistere quod ante statuerat generale principium, nec in universum ullam doctrinæ ante acceptæ rationem interpreti esse habendam.

Quæri nunc posset an ista decreta ita in usum adduxerit auctor, ut reapse Scripturas animo omni præjudicata de dogmatibus opinione plane libero fuerit interpretatus? Dicendum vero est eum in multis sibi constitisse, et sæpius maxima animi libertate, quam vocant, libros sacros non explanasse modo, sed et de eorum pretio judicasse. Vetus Testamentum solis judæis aliquid utilitatis habere ducebat, adeoque illud ut christianis supervacaneum et nullius momenti rejiciebat; nec quibusdam novi Testamenti libris multum parcebat, quos quidem plerumque, omni prævia fide posthabita, interpretabatur. Quoniam tamen verbi minister et pastor erat, doctrinam suæ ecclesiæ lutheranæ plebi tradebat (2).

Quæ quum ita sint, conficitur ab Ernesti ejusmodi principia invecta fuisse quibus rationalismo via pateat, sed ipsum tamen dubium et suspensum hæsisse, nec idcirco ceu germanum rationalismi biblici parentem haberi posse. Alius ergo inquirendus est.

§ 2.

RATIONALISMUM BIBLICUM STATUIT SEMLERUS.

Ut jam ante diximus, verum rationalismi conditorem Semlerum agnoscimus. Ejus igitur hac in re doctrinam universam sedulo inspiciamus oportet. Plurima in sacram Scripturam edidit opera in quibus omnibus rationalistica ejus principia occurrunt; præcipua autem ex quibus ea potissimum sumus deprompturi sunt: *Apparatus ad liberalem V. T. interpretationem* — *Apparatus ad liberaliorem N. T. interpretationem* — item *Libera inquisitio de canone* (3).

(1) *Ibid.* n. 19.

(2) Istius auctoris duplicem quasi speciem animadvertens rationalista Richand, recte notavit : « Ernesti, prêchant devant sa paroisse de Leipzig, fait acte d'une orthodoxie dont on ne trouve plus de traces dans le cours d'exégèse qu'il fait aux étudians le lendemain. » Vid. *Nouvelle Revue Germanique*, 1835.

(3) Postremum illud opus germanico idiomate conscripsit : *Freie Untersuchung des Canons*.

Primum declarat christianos doctores, qui aliorum sententias suis in religione oppositas damnant, germanam christianismi indolem exuisse, stultamque judæorum intolerantiam imitari. Hinc durius carpit Tertullianum quod ipse primus fere dicere non dubitaverit : *antiquiora veriora*; quæ regula Semlero admodum *illiberalis* videtur : « Tertulliani, inquit, jam est ista falsa atque illiberalis regula, antiquiora veriora (1). »

Et revera si, quod postulat pseudo-reformationis methodus, omnes inter christianos obortæ doctrinæ sint æque tolerandæ, absonum est dicere ideo veriorem esse aliquam doctrinam, quia antiquiorem, cæteras autem ut falsas rejicere : eodem accedit quod Tertulliani regula sit ipsa traditionis lex, a qua abhorrent protestantes. Optime ergo ex protestantismi principio argumentatur auctor; at apertius etiam in toto suo systemate venenum prodit quod in sinu absconditum gerebat pseudo-reformatio.

Postulat igitur tamquam præviam conditionem, ut ii qui Scripturam interpretari velint, omnem fidem opinionemve de quovis dogmate prius exuant, floccique faciant eorum qui superiori ætate fuerunt doctrinam, ut sic tandem mente plane libera verum in libris sacris inquirere possint : vera enim, ait, christianismi natura in eo demum sita est, ut quisque maxima animi libertate teneat doceatve quod ipse per suas investigationes repererit ac pro veriori habuerit; qui vero statuunt Patrum et priscorum doctorum vestigia fideliter et summa observantia premenda, ii christianæ libertati miserrimam et minime ferendam servitutem supponere tentant. Ut autem hæc sua decreta confirmet faciliusque timidioribus animis instillet, falsissime et sacrilege notat auctor Christum et Apostolos eamdem prope tenuisse viam, nec consensionem in doctrina profitenda multum curasse, sed eo tantum incubuisse, ut christiani omnes consentirent in emendatione animi comparanda. Ita loquitur : « His fere monitis (de summa in interpretando libertate) ante imbutum esse decet illorum animum, qui intra adyta eruditionis liberalis theologicæ admitti velint... Ista libertas olim fere magis floruit quam hodie; inde certe a Christi tempore eodem videmus in templo, eadem in societate, divisas judæorum plures sectas. Atque ipsi christiani ex cunctis, ex variis istis sectis primo coaluerunt, cognitionis nova præstantia omnes ducti, etsi non omnes una atque eadem mensura pariter aucti. Nec instituit hoc Christus, nec Apostoli tentarunt ejus rei aliquid, *ut intelligendi varietatem eximere* aut ingeniorum æqualia exercitia imperare voluisse dici possint. *Rem ipsam unice tenent hanc, ut consentiant homines in illam animi emendationem dignissimam; ceterum sententiarum et idearum numerum unum eamdemque mensuram non præscribunt* (2). »

(1) *Apparatus ad liberalem V. T. interpretationem.* Halæ Magdeb. 1773. *Prolegom.* § 4.

(2) *Ibid. Proleg.* § 5.

Quantum hæc quæ de Christo et Apostolis effutit auctor a vero aberrent non est hujus loci ostendere; sed ex his perspicis ideo, Semlero judice, maximam animi libertatem in dogmatibus indagandis judicandisque adhiberi posse, illæsa prorsus religione, quod ea non in doctrina, sed in moribus componendis emendandisque potissimum versetur.

Idem igitur hic iterum occurrit principium quod jam ante offendimus apud plurimos theologos; at illud magis evolvit rationalismi biblici parens, et ad liberaliorem, ut ait ipse, usum accommodat. Hactenus multi equidem aiebant quemque sibi in elicienda e Scripturis doctrina esse permittendum, nec ullum damnari posse, quod dogmata receptis contraria inde deprompsisset; at eo tamen non progrediebantur ut assererent, quemvis etiam sibi permittendum in investigandis judicandisque authentia et divina librorum auctoritate, vel saltem id certe in usum nondum fuerat serio animo adductum.

Atqui illud sane postulabat Lutheri principium. Quid enim? Docuit ille homini christiano nequaquam ab aliquo magisterio religionem esse accipiendam, sed quemlibet debere eam ex libris sacris quam liberrime eruere : verum priusquam hos libros interpreteris, ea statim occurrit in antecessum solvenda quæstio, an reapse sint libri sacri? An ii qui vulgo hoc nomine feruntur revera eam sibi jure vindicent divinam auctoritatem? Quin etiam duplex simul oritur quæstio, alia de istorum librorum authentia et fide historica, alia de eorumdem inspiratione; possent enim auctoritate humana gaudere, at divina tamen vacare.

Has quidem quæstiones solvebat Lutherus in suî auxilium evocando internum Spiritus sancti testimonium : Spiritus Dei ineffabili prorsus ratione in cujusquam mente testabatur librum hunc esse inspiratum, non illum, atque ita omnis removebatur difficultas. At hæc ridiculiora erant quam ut diu perstarent. Et vero, quod ad rem attinet, non ad illud Spiritus sancti testimonium confugere solebant theologi protestantes, nisi quum objicientibus catholicis haud inveniebant quid responderent. Cæterum hactenus Scripturas ut divinas venerabantur nec ad severiorem critices trutinam revocabant; atque ea in re in protestantismi methodum peccabant. Id perspexit Semlerus, statuitque quemvis non modo liberrime, omni prævia fide neglecta, Scripturas interpretari debere, sed etiam pari libertate inquisitionem instituere circa earum authentiam et inspirationem.

Ut igitur viam, quam unice tutam et pseudo-reformationis methodo convenientem existimat, et ipse ineat sicque aliis exemplo esse possit, quam liberrimo animo de sacrorum librorum canone inquirit (1). Huic porro methodo non consentiret si libros illos ut genuinos sacrosve habe-

(1) Quod quidem libertatis principium vel in ipso operis titulo exprimere voluit : opus quippe inscribitur : *Freie Untersuchung des Canons.*

ret, quod hactenus ejusmodi indole et auctoritate donati fuerunt; imo si vel quidquam momenti diuturnæ inveteratæque isti persuasioni tribueret : ut enim, quoad ejus fieri potest, mentem penitus abstrahat a doctrina communiter inter christianos recepta, Scripturas quas ii sacras vocant eodem loco habeat necesse est quo quoslibet prisci ævi libros, quorum authentia ipsi nondum comprobata sit. Dubias ergo primum ponere debet Scripturas, donec suis investigationibus earum auctoritatem plane compertam habuerit. Jam dudum illud protestantismi consectarium animadverterat acutissimus Bossuetus, dixeratque universam Christi religionem veluti anilem fabulam protestantibus esse debere, donec illam privato examini subjecerint (1).

Itaque inquisitionis exitium nihil pertimescens Semler, idque tantum curans ut liberi examinis principio conveniens existat, sumit sibi prorsus ignotum christianismum, ignotos pariter libros qui ejus dogmata referant. Quid ergo agendum? Occurrunt primo apud christianos Scripturæ quæ sacræ feruntur, quarumque summa vulgo veteris Testamenti nomine venit. Itane est vero? An reapse integrum librorum illorum corpus vim divinam sibi jure merito vindicat? Asseverant isti, at ego nihil ipsis fidei adhibere possum. Qua autem ratione verum tandem assequi licebit? Aiunt nempe libros eos perantiquos esse, et primitus penes judæos solos extitisse. Suadet igitur prudentia ut judæos istos adeam, ab eisque expostulem an revera Scripturæ illæ quæ mihi objiciuntur divinæ sint necne. Experiamur ergo : « Fingamus, inquit Semler, viatorem quemdam veri cognoscendi cupidum : judæos in Palæstina commorantes sincero animo petit de numero librorum canonicorum interrogaturus : hi autem quatuor et viginti libros hebraicos omnes recensent. Adit porro Samaritanos, qui ipsum ad quinque Moysis libros tantum mittunt. Postremo Alexandriam pergit judæorumque ibi degentium sententiam rogat : ii vero plus quatuor et viginti librorum sacrorum numerant (2). » His porro sibi oppositis testimoniis auditis, anceps hæreo nesciens cui fidem habeam. Peregrinus ego sum nec quidquam de libris istis novi : sollicite autem rogatis iis quorum gentiles esse videntur, non nisi testimonia belle secum pugnantia refero. Quid mihi sic in ambiguo versanti faciendum restat? Quid, quæso, nisi ut viam primum initam mox deseram aliaque tentem veri inveniendi media. Mitto igitur testimonia historica, ratus nihil inde librorum sacrorum constituendæ auctoritati firmi unquam erui posse : « Planum est, ait auctor, ex his testimoniis mere historicis nihil circa librorum istorum divinitatem confici posse (3). »

(1) Vid. *Conférence avec M. Claude sur la matière de l'Église. Opp.* Bossueti, Besançon, 1836, tom. IX, p. 67 sqq.

(2) *Freie Untersuchung des Canons*, part. I, p. 28.

(3) *Ibid.*

Quod autem deinceps inquisitionis iter sectabor? Hic quippe gradum sistere fas non est, quandoquidem aliqua saltem sententia mihi est de libris istis ferenda. At vero aliam eamque minime fallacem reperio viam qua gressu firmo ire liceat. Quæ igitur? Libros istos serio animo pervolvam, quam produnt doctrinam mecum perpendens, et si ejusmodi offenderim decreta quæ mihi recte cohærere videantur cum ideis illis æternis, quas de Deo deque religione universa in mente gero, quæque omnium hominum ac ætatum sunt, nihil amplius ambigendum est, libri ii certo veri ac divina auctoritate præditi habendi sunt : quotiescumque in perlegendo libro aliquo interne sentio ac video reapse vera esse quæ inibi cernuntur, liber ille divinus est; sin autem secus sentio, divinus esse nequit, et ideo rejiciendus est. Ratio ergo cujusque lectoris, en demum lydium lapidem ad quem expendenda est divina librorum auctoritas. Et vero hoc unum criterion proponit Semlerus : « Certum argumentum, ait, divinitatis alicujus libri ducitur ex ea animi persuasione qua quis tenet vera esse quæ in hoc libro traduntur, atque hæc est proprie *fides divina*, quam ratione dicendi biblica, etsi subobscuriori, Spiritus sancti in lectoris mente testimonium appellare solent (1). » In promptu est auctorem usus ac consuetudinis tantum gratia vocem *fidei divinæ* adhibere; liquet enim, ipsius sententia ex uno rationis judicio sententiam de hujusmodi libris ferendam esse. Atque id fundamenti loco ponunt rationalistæ biblici, rationem unam habendam esse tamquam *fidem* vere *divinam*, de qua tantopere locuti fuerant antiqui protestantes; ratio est ipsis unum Dei testimonium, una veritatis arbitra.

Porro hanc secutus viam, ex librorum sacrorum canone prorsus expungenda decernit Canticum Salomonis, Ruth, Esdram, Esther et libros Chronicorum : dubios vero habet libros Josue, Judicum, Samuelis, Regum et Danielis. Plura quoque in novo Testamento e Scripturarum sacrarum censu pellenda existimat.

Itaque quod ad canonem attinet, hic multum a Semlero contrahitur. At constituto canone, repente occurrit alia quæstio haud minoris momenti, quæ circa librorum canonicorum auctoritatis gradum versatur. Qua igitur et an pari disparive gaudent auctoritate? Id antequam ad interpretandum aggrediaris definiendum est.

Novi profecto christianos pene universos, quin etiam et judæos ubi de veteri Testamento sermo instituitur, in ea esse opinione ut sentiant libros istos divinitus inspiratos fuisse, adeoque ab ipso Deo Scriptores movente, illuminante, et ne alicubi laberentur dirigente, profectos : quo probato, nullus profecto error in iis deprehendi potest, parique auctoritatis gradu omnia quæ ibidem attinguntur pollere dicenda sunt. Verum nihil me movere debet ea christianorum judæorumve sententia.

(1) *Ibid.* p. 39.

Quid ergo sola sua ratione fretus statuit auctor de eorum quos saltem in universum veros censet librorum *inspiratione?* Hoc quidem vocabulum servat; quorsum enim de verbis disceptatio? Sed illi rursum notionem a communi credentium sensu penitus alienam subjicit. Inspiratio ipsi nihil aliud est quam is animi status in quo homo mentem cogitationemque ad se revocat et ad verum conspiciendum religiose applicat. Non amplius igitur quidpiam insueti ac proprie divini sibi vindicat inspiratio, nec idcirco ulla ratione prohibet quominus hic illic labi queat scriptor, quum vere peculiari Dei auxilio non sit instructus : id tantum ex ejusmodi, quam vocat, inspiratione consequitur, scriptores illos non consulto decipere studere, quamquam ipsi forte nonnunquam decipi potuerint. Proinde germanam inspirationem penitus tollit auctor. Hinc quamvis nuspiam hanc dedita opera impugnet, ubique tamen sententiam eorum omnium, tum catholicorum tum protestantium, interpretum elevare et convellere conatur, qui veteris Testamenti libros explanant quasi reapse inspirati forent atque ejusmodi decreta supernaturalia ac prophetica proderent quæ ad Messiæ adventum essent referenda. Illis sane interpretibus perlibenter largitur licentiam talia efferendi, si modo et sibi fas itidem fuerit ea rejiciendi ac velut aniles judæorum fabulas irridendi : « An vero, inquit, jus fas non est christianum, atque rerum non imperitum lectorem, statuere de quorumdam librorum origine aliter quam istos judæos, qui domesticas res suas scriptionesque omnes antiquiores ad Deum omnino referunt auctorem? Adeo omnes illi libri judæorum divina origine et majestate omnino gaudent, ut non liceat lectorem, qui humili judaismo se addicere nolit, dubitare de divina origine et majestate illa, quam judæi facillime libris cunctis tribuunt, quos antiquiorum magistrorum auctoritas ipsis commendavit? *Quid enim faciat lector ingenii erectioris, si adsuetus* τῇ ἀληθείᾳ, *quæ tandem per Christum nobis patet, nihil inveniat, quod humanam auctoritatem superet* (1)? » — Vides igitur solius rationis esse supremo judicio decernere utrum divina sint necne quæ in Scripturis occurrunt.

Atqui uno rationis lumine admoto statuit rationalismi parens fieri nequaquam posse ut judæi multo potiora a Deo acceperint beneficia religiosa quam cæteri populi, atque ita reliquis prælati fuerint; id enim *particularismum* Deo prorsus indignum redolet (2). Inde conficitur, omnibus rite perpensis, judæorum non magis quam cæterarum gentium libros divina auctoritate præditos esse.

Porro solutis quæstionibus de librorum canone ac eorumdem divina inspiratione, tum demum ad interpretandum aggredi licet. Ex hactenus autem allatis constat deinceps nullam analogiæ fidei seu doctrinæ ante

(1) *Apparatus ad liberalem V. T. interpretationem*, lib. I, c. 3, § 41.
(2) *Ibid.* c. V, § 54.

acceptæ rationem haberi posse, quandoquidem interpres, nullo dogmate imbutus et a decretis revelatis plane alienus, sacra Biblia aperit non secus ac si Platonis Homerive scripta præ manibus haberet. Solam ergo interpretationem grammaticam adhibendam constituit Semlerus, prohibetque quominus ullo pacto ab ea explanationis ratione quam in explicandis profanis scriptoribus sectari consuevimus unquam recedatur. At satis de hac interpretandi methodo supra dictum fuit. Ut tamen facilius perspicias quo nexu hæc Semleri principia inter se cohæreant, et qui sit rationalismi biblici veluti organismus, pauca etiam notanda arbitror, quamquam ea ex superioribus jam necessario elici debeant.

Itaque postquam libros tum veteris, tum novi Testamenti hac methodo es interpretatus, res nondum ad finem processit. Restat nempe ut crisim instituas eorum quæ tibi in Scripturis obvia fuere. Bene enim tenendum est scriptores sacros vere divinitus inspiratos non haberi, sed eo tantum animo fuisse comparatos ut consulto decipere nollent : at ut recte fuerint affecti, non nisi humana tamen gaudent auctoritate, et ideo doctrinam quam scripto prodidere rationis judicio subjicere fas est. Quid namque prohibet quominus homines, maxime si, ut hodie sunt, excultiores ac doctiores fuerint, ad critices trutinam revocent aliorum hominum doctrinam, qui, sancti licet ac de ideis religiosis optime meriti, subinde tamen incultioris ævi argumenta in scriptis suis relinquere debuerunt, vel quod ipsi quædam altiorum dogmatum capita minus intelligerent, vel certe quod æqualium notionibus humilioribus morem gerere coacti sint?

Hinc rationalismus biblicus secernit interpretationem seu hermeneuticam disciplinam a scientia critica : prior circa sensum Scripturæ indagandum versatur, posterior res et doctrinam hac ratione e Scripturis elicitas probat vel improbat : « Critica, inquit Bretschneider (1), inquirit utrum notiones quæ in libris sacris occurrunt divinæ sint nec-ne, » hoc est, an rationis notionibus consonent, an non; id unum quippe tandem divinum dicitur quod rationi undequaque convenit, ita quidem ut mens humana illud facile intelligere queat; ratio enim illis est una divini norma pariter et mensura.

Hæc decreta in usum adducens Semler, quoniam sibi videbatur videre plura in novo Testamento inesse quæ minus cum rectæ rationis notionibus cohærerent, quoniamque alias agnoscebat Jesum nulli falso dogmati addictum recte de omnibus sensisse, illud, quod vocant, *accommodationis* systema excogitavit, quo sumit Jesum, ut obsequeretur doctrinis tunc temporis vulgo receptis atque ita facilius animos ad suam doctrinam converteret, multa tradidisse illis convenientia, quæ tamen in erratis esse bene noverat.

(1) *Die historisch-dogmatische Auslegung des N. T.* p. 53.

Itaque quum Christus de dæmonibus, angelis, exspectatione Messiæ, ultimo judicio, resurrectione mortuorum loquitur, id eo tantum consilio agit, ne æqualium suorum rudiores opiniones impugnare videatur sicque eos ab illis verioribus quæ prædicabat dogmatibus avertat. Præterea quo melius etiam plurimorum istiusmodi doctrinæ capitum quæ in Scripturis cernuntur rationem redderet, aiebat Semler probe distinguendas res et notiones quæ pro locorum ætatumve diversitate variæ sunt, ab iis quæ quovis loco ac tempore eædem semper permanent. Quod si quæras cujusmodi sint illæ notiones, quas mere *locales* appellat, respondebit ad id genus spectare quæcumque in novo Testamento habentur præter religionem naturalem : proinde id omne quod christianismo proprium est ad notiones *locales* erit referendum (1); atque ut Christus ipse a vero aberrasse non videatur, iterum adsciscendum est accommodationis systema, dicendumque eum in his omnibus judæorum præjudicatis opinionibus indulgere voluisse. Atque ita demum divinam Christi revelationem penitus de medio tollebat auctor.

Istud accommodationis systema sæpius proponit ac evolvit Semlerus (2). Operæ autem pretium non duco illud de industria refellere; usque adeo enim Christi Domini indoli et modo agendi, prout ex novo Testamento cognoscitur, repugnat, ut ne vel tenuissimum examen ferat; quod recte animadvertit ipse Strauss, qui ejus imbecillitatem et falsitatem facili negotio demonstrat (3). Notandum porro est doctrinam hanc novam non esse, sed jam primis sæculis a gnosticis fuisse propugnatam : quod vidimus, ubi de S. Irenæo, qui eos perbelle confutat, sermonem habebamus.

His autem sic delibatis liquido constat quo tandem ducat principium illud quo nititur protestantismus, ubi serio animo et plene ad Scripturarum interpretationem accommodatur. Omni traditione dogmatica plane posthabita, ad libros sacros aggreditur interpres eosque examini subjicit, judicat, interpretatur perinde ac si profani forent. Hinc *mutilus* canon, sublata inspiratio, haud intellecta doctrina, et dogmata rationi, quæ sola supremum sibi judicium vindicat, impervia prorsus negata et christianismus universus ad arctissimos rationis limites revocatus.

(1) Sic alicubi Semlerus, de opere cujusdam deistæ angli verba faciens, ait : « Quoniam religio christiana fuit tantum religio localis, fieri nequit ut ea religio universalis efficiatur. » Vid. *Zusätze zu Lord Barringtons Versuch über Christ und den Deismus*, etc., p. 211.

(2) Cff. *Paraphras. in Epist ad Rom. præf.* — *Vorbereitung zur theol. herm.* — *Apparatus ad liberaliorem N. T. interpretationem.* — *De discrimine notionum vulgarium et christianarum in N. T. observando.* — *De discrimine inter* σαρκικους *et* πνευματικους.

(3) *Die christliche Glaubenslehre*, tom. I, p. 149-151.

Hactenus ergo rationalismi biblici e protestantismo ortum et principia generalia vidimus : quin etiam hæc principia aliquatenus ad usum accommodata conspeximus. Restat ut eorum explicationes evolutionesque in protestanti theologia persequamur, ac præcipuas quas rationalismus ille induit formas breviter attingamus; ut tandem ob oculos habeas ultimum pseudo-reformationis principii processum.

CAPUT V.

POSTREMA EXAMINIS PRIVATI AD SACRAS SCRIPTURAS ACCOMMODANDI FORMA ET EXPLICATIO. — NATURALISMUS ET MYTHISMUS.

Postquam constituta fuere rationalismi principia, reliquum est ut ea plene et dedita opera ad religionem christianam accommodentur, atque ita magis magisque illustrentur ac evolvantur. Porro in eo consentiunt rationalistæ omnes, ut veluti sacrum quoddam decretum sumant nihil unquam fieri posse quod naturæ vires superet, adeoque illa omnia quæ in sanctis litteris prophetiarum, miraculorum aut etiam mysteriorum ac revelationis proprie dictæ speciem referunt, reapse nequaquam ordinis supernaturalis esse, sed facta aut conceptus mere naturalia.

Istas notiones alte in animo insculptas gerebat Semler, atque ad earum normam omnia metiebatur ac judicabat; illas tamen nuspiam diserte et de industria tradidit ac defendit. Qui vero deinceps floruere theologi eas pressius apertiusque exponere ac tueri studuerunt.

Rationalismum sic definit Wegscheider, inter rationalistas ipse præcipuus : « Rationalismus... est ea sentiendi et cogitandi lex, qua nullo alio modo a Deo religionem hominibus esse revelatam arbitrati nisi eo, qui et naturæ rerum et rationi tanquam testi atque interpreti divinæ providentiæ vim suam declarantis plane conveniat, *revelationis cujusque opinatæ supernaturalis argumentum examinandum ac judicandum censemus ex ideis ad religionem moresque spectantibus, quas rationis ope animo informatas habemus*, atque ex aliis rebus cognitis, quarum veritas intelligenti cuique ac docto existimatori perspicua est. Qua via ingressi ea tantum, quæ hac re peracta probari posse apparet, vera agnoscimus et digna, quæ ab omnibus omnino approbentur (1). » Addit porro revelationem aut interventum quemcumque supernaturalem cum Dei attributis pugnare : « Persuasio de *supernaturali* et *miraculosa*

(1) *Institut. theol. christ. dogmat.*, ed. 7a. Halæ 1833, § 11.

eademque *immediata* Dei revelatione conciliari non potest cum idea Dei æterni, semper sibi constantis, omnipotentis, omniscii et sapientissimi, cujus virtute per omnem æternitatem actuosa consiliisque optimis optime accommodata fieri, ut et sit et conservetur tota rerum natura, recte docemus. » Hinc ait : « sola *revelatio naturalis* sive manifestatio Dei, quæ fit per opera naturæ, recte defendi posse videtur (1). » Eadem cogitata passim apud omnes theologos rationalistas occurrunt. Nihil ergo quod sit supra rationem naturamve ullo pacto probari posse decernunt.

Quo constituto, quoniam tamen christianam religionem defendere videri cupiunt, quoniamque protestantibus fons ejus unicus Scripturæ habentur, iis examinandis explanandisque operam potissimum navant theologi illi. At ubique in sacris litteris ejusmodi offendimus argumenta quæ supernaturalismi speciem præ se ferunt. Quid igitur rationalismo agendum est ut ea convenienter suis principiis intelligat atque explicet, hac tamen lege ut aliquatenus saltem christianismum ejusque conditorem revereri videatur? Quid hac in re tentaverit Semler jam novimus; potiori autem studio magisque dedita opera deinceps suscepta est causa. Atqui universa quæ eum in finem excogitata fuere tentamina ad duo omnino systemata mihi revocari posse videntur, Naturalismum scilicet et Mythismum : quæcumque apud rationalismi biblici fautores mihi obvia fuerunt, unum alterumve horum systematum plus minusve redolent. Quamobrem utriusque tantum systematis indolem ac naturam enucleare constitui. Quum autem Paulus Naturalismi quasi personam gerat, Strauss vero Mythismi, ideo horum doctrinæ enarrandæ præcipue sum allaboraturus.

§ 1.

NATURALISMUS AD SCRIPTURAM A PAULO ACCOMMODATUS.

In eo situs est Naturalismus biblicus ut, rejecta supernaturali indole eorum quæ hac in Scripturis prædita apparent, doceat quidem istiusmodi facta in se vera ac authentica haberi posse, at accommodata ad ideas tunc temporis circa interventum Dei supernaturalem vulgo receptas a scriptoribus fuisse intellecta atque enarrata : secernendum itaque factum ab involucro supernaturali quo indutum cernitur.

Plurima hujus systematis lineamenta jam ante Paulum adumbrata fuerant, et, quod ad vetus Testamentum attinet, Eichhorn non principia tantum Naturalismi in hoc examinando plane adhibenda statuerat, sed et ipse aliquammulta quæ in eo supernaturalismi speciem gerunt hac ratione

(1) *Ibid.* § 12.

interpretari conatus fuerat (1). Imo eadem principia ad nonnulla historiæ Apostolorum facta quæ in novo Testamento narrantur transtulerat, ut ad miraculum Pentecostes (2), conversionem S. Pauli (3) et apparitiones angelorum (4). Alii quoque auctores Naturalismi legibus partim saltem novum Testamentum subjecerant (5). At vero hæc omnia complexus est et majori studio illustravit ac evolvit Paulus, atque dedita opera Naturalismum ad novum Testamentum accommodare tentavit, eo quidem successu ut diu in Germania dux et princeps theologorum fuerit habitus. Hinc non immerito Naturalismi biblici parentem illum dixeris. Ipsum igitur jam audiamus.

Paulus duo præcipue edidit opera, quibus Naturalismum exponit atque in usum adducit, *Commentarium in Evangelia* et librum de *Vita Jesu* : prius opus in lucem prodere cœpit anno 1800. Quo autem rectius intelligantur istius systematis ratio et via, bene semper ob oculos habenda est lex illa quam Semler constituit, quæque cum protestantismi principio apprime cohæret, Scripturas theologo adeundas esse ea animi libertate qua librum quemlibet profanum explanandum acciperet. Paulus ergo Evangelia aperit, perinde ac si Ovidii metamorphoses præ manibus haberet, ratus nihil probari posse quod extra naturæ ordinem videatur; si quæ autem ejusmodi occurrant, ea explicanda esse ex regulis quas sequimur ubi talia apud profanos auctores offendimus.

Christus Dominus, ipso judice, æterni Patris æternus Filius, Deus de Deo prædicari sane nequit, sed tamen vir ingenio ac virtute quam maxime conspicuus salutandus est, et in præstantissimorum philosophorum, qui de humano genere optime sunt meriti, catalogo censendus. Fuere homines, Christi discipuli, quos evangelistas vulgo nominamus, qui magistri gesta scripto prodere studuerunt, eaque ita exornarunt ut multa miraculosa atque a consueta rerum serie prorsus abhorrentia appareant : involucrum illud portentosum quod in Evangeliis cernimus procul dubio fictitium est, sed non idcirco ipsa quæ recensentur facta inficiari licet. Quid ergo? Cur rem enarratam veram arbitraris, si indolem quam narratio præ se fert supernaturalem negandam putas? Qua ratione factum ab adjunctis quæ illud comitantur secernendum existimas? Hæc nempe, quibus regatur theologus, Paulus pandit principia in introductione (6) *Commentarii*.

(1) Cf. *Einleitung in das A. T.*, et *Allgem. Biblioth.* bd. I.

(2) *Allgem Biblioth.*, bd. I, p. 91; II, 757; III, 225.

(3) *Ibid.* bd. VI, p. 1.

(4) *Ibid.* bd. III, p. 381.

(5) Cf. Eck, *Versuch über die Wundergeschichten des N. T.*, 1795. — *Venturini, Die Wunder des N. T. in ihrer wahren Gestalt für æschte Christus-verehrer*, 1799.

(6) Bd. I, p. 5, sqq. Cf. *Das exegetische Handbuch über die drei ersten Evange-*

Qui historiam biblicam rite cognoscere cupit, in primis probe discernat necesse est *factum* ipsum a *judicio* quod de eo latum legitur. Factum autem Paulo est id omne quod quocumque modo experti sunt ii qui alicujus eventus participes fuere; judicium vero dicitur ratio qua iidem homines, aut etiam qui rei gestæ non interfuerunt narratores factum intellexere atque ex peculiaribus causis explicavere. Porro is est facti et judicii nexus, ut perfacile permisceantur ac confundantur in mente tum eorum qui eventus pars extitere, tum narratorum et historicorum qui postea occurrunt, ita quidem ut judicium a facto non amplius secerni queat, et pari fiducia ambo simul deinceps narrentur atque accipiantur. Ea rerum confusio, inquit auctor, maxime apparet in libris historicis novi Testamenti, et ratio in promptu est : qua enim ætate Jesus vitam agebat, is erat hominum animus, hæc proclivitas, ut simul atque rem stupendam oculis cernerent, causam ejus divinam mox decernerent. Itaque eo præcipue contendere debet theologus, qui de factis inquirit, ut summo studio factum sejungat ab hominum istius ævi, quibus involvitur, opinionibus et judiciis. Quoniam autem hic alia deest purior narratio ad cujus normam evangelistas exigere liceat, atque ita secretionem hanc efficere, necesse est ut interpres fingendo, quam vehementissima imaginatione, sibi ob oculos ponat modum quo res contingere potuerint, sicque recogitans qua ratione convenienter ideis tunc vulgo receptis ejusmodi gesta exornari debuerint, suppleat ipse narrationem circumstantias adsciscendo quas sæpius scriptor, propter eum quem profitebatur supernaturalismum, omiserit, atque hoc demum pacto assequatur quid reapse acciderit, quid additum fuerit.

En quæ Paulus ubique commendat præcepta naturalistica, quæque ipse tum in suo commentario, tum in libro de vita Jesu perpetuo sectatur.

Supervacaneum duco in medium vocare explicationes quas accommodate ad ea decreta subjicit circa miracula quæ in Evangeliis recensentur. Multum sudat auctor ut præcipuas vitæ Christi circumstantias ejusque præclara ac divina gesta ita interpretetur, ut ab eis, pro historicis licet habitis, characterem quo nimium fulgent supernaturalem removeat.

Veritatem quippe historicam Evangeliorum firmo animo tuetur, at simul nullum non movet lapidem ut ea omni vi divina, omni interventu cœlesti prorsus exuat. Hinc miracula Domini nunc meros benignitatis actus habet, nunc ea scientiæ quam calluerit medicinali tribuit, nunc autem secundæ fortunæ.

Itaque eo tandem adduxit Paulum et reliquos qui cum ipso faciunt

lien, bd. I, abth. I, p. 4 sqq. — Vid. Strauss, a quo hanc principiorum Pauli analysim fere sumus mutuati : *Vie de Jésus, traduite de l'allemand par E. Littré*, Paris, 1839, tom. I, *Introd.*, § VI, p. 30.

theologos principium a Semlero perspicue constitutum, ut libros sacros serio ac per omnes partes veluti monumenta profana considerarent, quorum argumentum ad rationis normam ex toto expendere oporteat : quoniam autem novi Testamenti scripta firma ac authentica censent, ipsumque Christum et religionem ab eo conditam venerantur, summo studio contendere debent ad limites eventuum ordinariorum ac consuetorum revocare ea omnia quæ in historia Domini stupenda ac portentosa occurrunt.

Nostrum non est Naturalismi commenta explodere; historicum enim, non criticum agimus. Videant autem protestantes an, si sibi plane constare velint, dicere possint Paulum a pseudo-reformationis principio aberrare, etsi alias in iis decretis evolvendis atque applicandis cum sanæ scientiæ præceptis reapse pugnet : quod hic inquirere non est necesse. Pro instituto nostro satis foret systema illud exposuisse ejusque cum protestantismi methodo nexum indicasse. Verumtamen quum Pauli doctrina a pluribus theologis itidem rationalistis qui Mythismo viam straverunt fuerit oppugnata, quædam ex his afferemus argumenta quibus convellatur Naturalismus ; quod et nobis viam parabit ad ea quæ de Mythismo sumus dicturi.

In eo positum est, ut vidimus, Naturalismi fundamentum ut statuat in narrationibus supernaturalismi formam referentibus secernendum esse factum historicum ab adjunctis quæ ipsum comitantur, quæque a legibus naturæ consuetis dissident. At quam imbecillum sit istud fundamentum, quamque vana et arbitraria distinctio brevi perspexerunt multi theologi ; atque nullo molimine ostenderunt Naturalismum, si cominus inspiciatur, nulla ratione consistere posse. Itaque hac una animadversione censet De Wette istud systema funditus everti : cujusvis historiæ fons est ipsa narratio qua ea nobis innotescit, nec ultra progredi licet; quidquid enim ei narrationi adjiceretur, id extra historiæ limites vagaretur nihilque auctoritatis præ se ferret.

Hic autem narratio testatur supernaturali modo res fuisse peractas, quod quidem fas est aut credere aut negare. Quod si inficiari volueris, confitearis oportet penitus te latere quidquid ad res istas spectat, nec tibi licet pro libitu fingere eas reapse accidisse, sed modo naturali : quo enim jure id statuis de quo ne unum quidem verbum in narratione occurrit? Libri sacri facta portentosa ac supernaturalia referunt, et idcirco ea accipienda sunt prout narrantur vel omnino rejicienda.

Ejus argumentationis illustrandæ gratia, in medium adducit De Wette exemplum a fœdere quod Deus cum Abrahamo pepigit petitum. Tradit Scriptura Deum cum isto patriarcha pactum revera iniisse : naturalistæ cum omnibus rationalistis aiunt pactum illud, quemadmodum narratur, fictitium esse, quippe quod extra naturæ leges situm sit; tamen non omnia in hac narratione fictitia esse existimant, rem servandam decer-

nunt, modum autem quo contigisse dicitur tantum rejiciendum. Igitur Deus, inquiunt, nequaquam cum Abrahamo locutus est, sed hujus menti sive in somnio sive in vigilia certæ quædam cogitationes fuerint obversatæ, quas secundum istius ævi incultioris ingenium Deo acceptas retulerit : hinc orta notio fœderis qualis in narratione sacra cernitur. Ejusmodi interpretationum patronos merito rogat De Wette, qua demum via noverint reapse Abrahamum tales cogitationes secum volvisse; fœdus namque supernaturale refert Scriptura; quod si negas, nihil amplius extat quod jure tueri possis (1).

Eadem argumentatione convelluntur explicationes quibus Paulus et alii facta supernaturalia novi Testamenti in naturalia convertere moliuntur.

Simili fere ratione contra Naturalismum argumentantur Krug (2), Gabler (3), Horst (4), et, quod ad novum Testamentum attinet, ipse Eichhorn (5). Horum argumenta collegit et evolvit Strauss (6).

Itaque trutinam ferre nequit Naturalismus, et ea rationalismi biblici forma ab ipsis rationalistis falsa judicatur. Uti plerumque accidit ut error sibi ipse necem consciscat, sic rationalismi defensores, simul atque quidquam præter meram negationem adstruere volunt, incerti ac titubantes se invicem refellunt. Isti porro theologi, sublato Naturalismo, alias tentandas censent vias quibus ratio reddatur eorum quæ in sacris libris cernuntur. Quoniam vero ad Supernaturalismum transire nefas existimant, aliud systema quod, æque ac Naturalismus, præjudicatis rationalismi opinionibus sit accommodatum, facilius autem explicet Scripturarum indolem, excogitare moliuntur. Inde ortus Mythismus, qui præcipuum audacissimumque patronum nactus est impium Strauss, ad cujus doctrinam exponendam statim gradum facimus.

§ 2.

MYTHISMUS AD SCRIPTURAM UNIVERSAM A STRAUSS ACCOMMODATUS.

Maximum inter Naturalismum et Mythismum interest discrimen. Equidem in eo consentiunt ambo systemata, quod miracula impossibilia

(1) *Kritik der mosaischen Geschichte;* vid. *præf.* p. 3 sqq. et p. 59 sqq.

(2) Vid. Tentamen ad explicandum modum quo ficta fuere miracula, in *Henke's Museum*, I, III, p. 395 sqq.

(3) Cf. *Journal für auserlesene theol. Literatur*, bd. II, 1 heft, p. 43 sqq.

(4) Cf. *Henke's Museum*, I, IV, p. 695 sqq.

(5) *Einleitung in das N. T.* I, p. 408 sqq.

(6) *Vie de Jésus*, *Introd.*

ducant, et idcirco quidquid in sanctis litteris supernaturale videtur nequaquam probari posse asseverent; at cavet Mythismus ne mere naturalia dicat facta quæ a scriptoribus sacris ceu supernaturalia referuntur. Quid igitur? Dum ejusmodi factorum veritatem historicam agnoscit ac tuetur Naturalismus, rationalismi mythici patroni eam negandam aut certe non curandam statuunt, decernentes tales narrationes ex toto accensendas esse iis quas apud remotæ antiquitatis profanos scriptores offendimus, et ex quibus constat ea, quam vocamus, ethnicorum gentium *mythologia.*

Itaque narrationes illas universas veluti totidem mythos habent : quo posito, non amplius oleum et operam perdunt ut Scripturæ sensum truncando, aliqua veri specie secundum rationalismi principia facta miraculosa interpretentur ; id enim jam necesse non est; sed hæc omnia explicant non secus ac intelligeres mythos Jovis aut Saturni. Quoniam nempe Biblia pervolvunt eo animo quo Homeri Iliadem aut Hesiodi Theogoniam legimus, quidquid præter consuetas naturæ leges occurrit, illud mythis annumerant.

Antequam omnium ferme animos commoveret terreretque Strauss, in lucem edendo suum de vita Jesu librum, horrenda ac perfrigida impietate conspicuum, jam dudum in exegesim partim saltem invectus fuerat Mythismus. Quo enim tempore Pauli placita longe lateque dominabantur et omnes pene rationalistas theologos tenebant, nonnulli extitere qui rationalismi mythici causam tuerentur et eum ad quasdam librorum sacrorum partes accommodare contenderent.

Initio in vetus tantum Testamentum oculos conjecerunt, arbitrati quam plurimas ejus particulas mythice explicandas esse; id quippe eis suadere videbatur prisca et incultior ætas qua conflatum fuerat, quandoquidem istius ævi scripta quæ nobis obvia fiunt apud ethnicas gentes hac ratione interpretari solemus; nec vero apparebat cur sacra judæorum monumenta non iisdem quibus cæterorum populorum legibus subjicerentur.

Hinc Gabler (1) et Schelling (2) constituerant mythi notionem in universum transferendam ad historiam mundi primitivam sive sacram sive profanam; Eichhorn ipse prima Geneseos capita mythice intelligenda judicaverat, atque multo longius progressus Bauer, anno 1802 *Mythologiam hebraicam* ediderat. Vater et De Wette istis decretis calculum quoque adjecerant.

Itaque systema mythicum nequaquam condidit Strauss, sed varia ejus lineamenta, quæ multis ante annis a pluribus theologis rationalistis adumbrata fuerant, collegit perfecitque, et majori audacia seu potius impu-

(1) *Vid. Einleitung zu Eichhorn's Urgesch.* II, p. 481 sqq., 1792.
(2) Ap. Paulum, *Memorabilien*, 5 stück, p. 1 sqq., 1793.

dentia ad universam Scripturam accocomodavit. Hactenus enim minus nec nisi timide et partim tantum ad novum Testamentum traductus fuerat Mythismus : prohibebat nempe recentior ætas qua exaratum est, nec eo inscitiæ sine hæsitatione progredi non verebantur rationalistæ, ut ad ævum ab omnibus tamquam vere historicum et cultum habitum mythos tranferrent. Extitit igitur vir petulantioris ingenii qui nihil amplius veritus eorum quæ doctum quemque, utut incredulum, maxime dedecent ac probro afficiunt, totam Domini Jesu vitam, prout in Evangeliis narratur, mythicam dicere non dubitavit. Hujus doctrinam paulisper expendamus.

Primum quid mythi nomine in Evangeliis intelligat inspiciendum est. Mythus evangelicus appellatur, inquit, narratio *immediate mediateve* ad Jesum spectans, quam habere possumus, non ut *facti* cujusdam expressionem, bene vero notionis quam in mente gerebant primi ejus discipuli. Porro in historia evangelica perinde ac in libris sacris priscarum gentium variæ occurrunt mythorum species : modo mythus est *purus*, qui rem ipsam narratam afficit, modo res relata vera est et *adjuncta* tantum mythica habenda sunt.

Quod si quæras qui fons fuerit eorum mythorum qui, Straussio judice, in Evangeliis cernuntur, hæc ipse tradit quibus magis etiam perspicua fiat mythi indoles. Plerumque, ait, e duplici fonte elicitur mythus purus ad eum formandum simul conferente : prior est ea Messiæ expectatio quæ antequam Jesus oriretur, quæque propterea ab ipso nulla ratione pendebat, apud judaicum populum invaluerat; posterior autem cernitur in ipsius Jesu vita et gestis quibus populares suos multum commovit, unaque notionem quam sibi de Messia informaverant paululum immutare debuit. Nunc vero hic, nunc fons ille altero præstat.

Ita fere ab uno priori fonte historiam transfigurationis derivandam censet auctor; contra narratio veli templi in duas partes scissi, quo temporis momento animam efflabat Jesus, e posteriori ducta videtur : hæc nempe ideo ficta fuerit quod Jesus ejusque discipuli postea cultum et templum judaicum tollere studerent. Hic ergo aliquid historici offendimus, quamquam id admodum vagum appareat nec nisi istius ætatis animorum status quamdam speciem referat. Quod tamen satis est ut fingatur mythus historicus.

Mythus igitur *historicus* dicitur quum factum quoddam certum et definitum thema efficitur, quod imaginatio ejusmodi conceptionibus mythicis exornat quæ ortum ducant ab idea Christi. Factum illud modo est sermo quidam Jesu, modo actus vitæ ejus; atque ita baptismus, qui eventus historicus est, iis amplificatus fuit circumstantiis mythicis quas hodie in Evangeliis conspicimus. Hæc omnia, dicere pergit Strauss, jure optimo mythi nomine veniunt, etsi eo sensu accuratiori mythum acceperis, ut *conceptionem notet ex cujus parte non historica eliciatur*

idea methaphysica, sive pars ea a traditione, sive ab auctore singulari originem trahat.

Inde perspicis in mythis novi Testamenti quærendas tantum notiones æternas ac metaphysicas, quibus solis constat et perficitur religio, quæque a veritate historica nequaquam pendent.

Verum minus accurate mythos appellari censet scepticus theologus eas Evangeliorum particulas ubi hæsitationes, lacunæ, confusio et similia cernuntur, vel contra viva imago et numeris omnibus expleta adumbratio : has particulas rectius *legendas (legendes)*, si mihi hanc vocem latini concesserint, dicendas arbitratur.

Postremo tum a mytho, tum a *legenda* secernendum ait id quod, nec notioni metaphysicæ exponendæ inserviens, nec a traditione ortum ducens, habendum est tamquam *scriptoris additio* mere singularis eum in finem narrationi affficta, ut res melius colligentur illustrenturve. Atque en demum, concludit Strauss, varias formas quas in Evangeliis induit pars quæ historica haberi nequit (1).

Hac igitur adumbratione definitur et ob oculos ponitur totum Mythismi systema ac veluti organismus. Longum et inutile foret auctorem persequi in iis quas secundum ejusmodi placita deinceps versat ac tuetur Evangeliorum explanationibus : perpetuo sibi constat et in singulis pene Evangelii paginis mythos agnoscit. Ea autem animi fridigitate, ea incredulitatis et scepticismi historici indole singulas vitæ Domini Jesu circumstantias perlustrat ac judicat, ut summum afferat tædium ejus operis lectio; et quod ad me attinet, ingenue confiteor me ne duo quidem capita sine intermissione perlegere potuisse.

Hunc porro ordinem perpetuum tenet. Quoniam triplex omnino datur modus Scripturas interpretandi ac intelligendi, supernaturalis seu orthodoxus, naturalisticus et mythicus, primum in medium adducit Strauss ejus, quem versat, loci intellectum supernaturalem, quem ad trutinam vocat et prorsus rejiciendum decernit; deinde Naturalismi interpretationem subjicit eamque pariter explodit; postremo mythicam evocat et defendere conatur. Hæc omnia mittenda putamus.

Satis fuerit si rationem, qua impius auctor historiam Domini in mythum convertendam ducit, monstraverimus; sic enim et quo fundamento nitatur Straussii systema dixerimus, et quid ipse de Christo sentiat in aperto erit.

Quid igitur Straussio agendum est, ut suum systema mythicum quomodocumque statuat? In primis dicat oportet quo pacto ortum habuerit historia illa Jesu quæ in Evangeliis cernitur; ea enim Jesum tamquam Dei Filium eumdemque divina auctoritate præditum, signa et portenta patrantem, ubique exhibet. Unde ergo ejusmodi historia ortum traxerit?

(1) *Vie de Jésus, Introd.*, § XIV bis, p. 105-107.

Hujus facti ratio afferatur necesse est, ut aliqua veri specie consistat Mythismus, atque ita Naturalismo supponi queat.

Age vero huc fere summatim recidunt quæ hanc in rem fusius disputat Strauss. Primo quidem, quemadmodum Paulus et cæteri rationalistæ, auctor ait Jesum reapse extitisse, eumdemque doctrina, sapientia, religione perillustrem : vir ille, præstantissimis omnium ætatum philosophis procul dubio accensendus, lugendam religionis et cultus publici conditionem cernens, summo studio contendit populares suos ad saniora decreta revocare et incultioris ævi rudiores notiones emendare. At huic consilio obstitit judæorum synagoga; quæ timens ne nova doctrina longius serperet, eum virum probrosa morte affecit. Proinde sui ingenii suique erga homines amoris pœnas acerbissimas dedit philosophus ille. Plurimos tamen inter judæos nactus erat discipulos, qui pietatis, doctrinæ aliarumque quibus præstabat dotum admiratione capti, eum ut hominem pene divinum habebant. Hæc eorum admiratio, ut fieri solet, post ejus mortem multum crevit, et ita quidem, ut paulatim processu temporis invaluerit opinio, virum istum esse ab humanitatis finibus remotum ac summi Dei filium. Et vero quoniam jam olim inter judæos ex perperam intellectis quibusdam librorum poeticorum veteris Testamenti sententiis orta erat opinio fore ut olim rerum potirentur, quod rex ac liberator præpotens a Deo mitteretur; quæcumque de hoc Messia futuro a judæis ante ficta fuerant assumpsere Jesu discipuli, et ad magistrum referenda duxerunt. Quem quum Messiam esse non amplius ambigerent, summo studio curandum ipsis erat ut omnia quæ in veteri Testamento ceu vaticinia de Messia existimabantur, ad magistrum accommodarent; et quoniam miracula et portenta plurima editurus erat Messias, quem sibi ex istis vaticiniis fingebant judæi, ideo illi innumera prope signa tribuerunt. Et porro postquam ejusmodi narrationes in vulgus sat multum essent disseminatæ, nonnulli Jesu discipuli eas tandem scripto mandarunt. Hinc demum orta quæ nunc habemus Evangelia.

En ergo rationalismi mythici admirandum sane fœtum! En qua ratione Evangeliorum ortum decernit explicandum! En etiam quo scepticismi, inscitiæ juxta ac impietatis adduxit canon iste exegeseos, nihil penitus credendum, et idcirco, ut jam olim animadverterat Bossuetus, christianismum universum anilibus fabulis æquiparandum esse, donec quisque proprio studio Scripturas pervolverit et ex eis religionis decreta deprompserit! Aniles tantum fabulas esse Evangelia exordio sumpserat Strauss, et, inquisitione instituta, ab hac sententia recedendum non putavit!

At ut vera hæc sint, paulisper tamen inspiciendum quo fundamento nitantur ea somniantis animi deliramenta. Neque enim satis est hypothesim quamlibet excogitasse ac altiori voce prædicasse : hoc modo *concipi potest* vitam Jesu adornatam fuisse; logica prohibet quominus inde concludatur : ergo ita *reapse* fuit adornata.

Quibus igitur argumentis systema mythicum statuere nititur Strauss? Præcipuum, imo vero, ni fallor, unicum argumentum ducitur ex impossibilitate miraculorum. In hunc nempe modum ratiocinatur acutissimus theologus : miracula impossibilia sunt, id omnes confitentur rationalistæ; sed miraculis scatent Evangelia : porro duplici tantum modo ea intelligere fas est, vel secundum Naturalismi placita, vel ea ut totidem mythos habendo; verum stare nequit Naturalismus, ergo Mythismus consistat necesse est.

Quid huic argumentationi respondeant naturalistæ, ipsi viderint. Ego vero, ut dicam quod sentio, minori profecto difficultate mihi laborare videtur rationalismus mythicus quam naturalisticus, si modo solam spectaveris explicandi rationem; et certe quas in decursu sui de vita Jesu operis Strauss subjicit explanationes, multo expeditiores apparent iis quæ apud Paulum occurrunt. Superest tamen difficultas qua et ipsi naturalistæ Mythismum funditus explodere queant. Ex iis quæ supra circa mythi indolem ac fictionem ex Straussio adumbravimus liquet mythum non nisi paulatim et traditione, quæ crescat eundo, fingi ac formari posse; proinde si Evangelia mythica dixeris, sumas necesse est ea nequaquam ab illis Christi Jesu primis discipulis, quorum nomina præ se ferunt, conscripta fuisse, sed serius tantum, quum scilicet per tempus traditioni licuisset vitam Jesu quam maxime amplificare et innumeris adjunctis portentosis exornare. Hinc Strauss in dubium vocat Evangeliorum authentiam, censetque historiam Domini non a testibus oculatis, nec ab iis qui rerum proximi fuerint scripto proditam; hoc quippe probato convelli fatetur systema mythicum (1). Quamobrem multo molimine elevare nititur præclara illa ac luculentiora argumenta quæ tum e primorum sæculorum Patrum testimoniis, tum ex ipsa Evangeliorum interna indole duci solent; at irrito prorsus conatu : tanto enim externo testimoniorum pondere, tot et tantis notis intrinsecis firmatur librorum istorum auctoritas historica, ut hac in re causam perfacile vincere queant naturalistæ. Et vero ex rationalistis fuere theologi qui Straussii audaciam paululum infringerent, ostenderentque nefas esse e critices præceptis ita in universum in dubium adducere Evangeliorum fidem historicam. Quin etiam eorum argumentis commotus ipse Strauss, confiteri coactus est quarti Evangelii authentiam non ita facile negari posse (2). At desperatam causam agebat infelix theologus. Tholuck namque, vir summa eruditione et maxima mentis acie conspicuus, invicte demonstravit, missis etiam Evangeliis, præcipua historiæ hujus capita restitui posse ex Actis Apostolorum, quorum authentia nullis critices telis pateat. Undique igitur nutat Mythismus, nec habet quo consistat.

(1) Cf. *Vie de Jésus*, *Introd.* § XIII.
(2) *Vie de Jésus*, *préface de la 3e édit.*

Operæ pretium non duco de industria Straussii commenta refellere; id non fert nostrum institutum, et porro imbecilliores ridiculioresque sunt ejus argumentationes quam ut aliquid temporis impendere velim iis ad trutinam vocandis. Perpetuo testimonia quam maxime perspicua flocci facit, et sicubi in Evangeliis quidpiam offendit quod primo obtutu minus consentire videatur cum aliis locis, mox scriptores secum pugnare asseverat, nulla ratione habita eorum quæ centies ab interpretibus et theologis christianis ea in loca notata fuere, quibusque luculenter commonstratur ne speciem quidem repugnantiæ iis inesse. Dubio procul si quopiam pacto stare posset Straussii sententia, non Evangelia modo, sed et universa scripta quæ aliquid antiquitatis sibi vindicent pari jure dubia forent ponenda, et quam latissimus scepticismus statuendus esset. Itaque vel Evangeliis fides historica adhibenda est, vel de omnibus monumentis historicis dubitandum.

Verum, quod jam innueram, iterum animadvertas velim, ut rationalisticæ, quam tantopere jactant, critices momentum et firmitatem metiri possis. Omnes quas sive e confusione repugnantiisve falso creditis, sive e testimoniorum quæ sufficiant defectu movet difficultates acerrimus ille Mythismi fautor, nequaquam animo præjudiciis libero inquirit ac proponit; sed eas reperit tueturque quod illud necessario postulat præconcepta opinio. Et vero asserere non dubito fore ut Strauss ipse et cæteri quotquot pene sunt rationalistæ has quas venditant difficultates veluti totidem nugas et delirantium somnia contemnerent irriderentque, nisi quibus imbuuntur rationalismi præjudicia ejusmodi commenta efflagitarent. Quid igitur? Ceu dogma sacrum una cum reliquis rationalistis sumit auctor miracula impossibilia esse; quæ quoniam in Evangeliis occurrunt, inquirat oportet quî conficta fuerint et deinde scripto prodita. Mythismus repente ipsi ante oculos obversatur, isque tamquam una via qua et rationalismo ire liceat et omnia explicari queant eidem apparet. Quapropter nihil amplius ambigendum, *a priori* deinceps certum est et immotum mythice intelligenda esse sacra Evangelia. Nec dicat quis id prohibere apertissima testimonia historica, vetare quoque luculentam veritatis indolem quæ in iis cernitur : hæc omnia nihil virium habere possunt, quod, si authentici forent libri isti, in erratis foret systema mythicum, nec ulla superesset ratio eos secundum rationalismi placita explicandi! Igitur ad eorum fidem historicam labefactandam nervos omnes rationalistæ contendant necesse est; quacumque demum arte repugnantias invenire debent, vim testimoniorum elevare, cujusvis denique generis argumenta per fas et nefas exquirere et cogere, quibus finem sibi præstitutum tandem consequantur.

Atque idem aliquo sensu de omnibus rationalistarum inquisitionibus dicendum, idem de illis judicium ferendum est. Desinant ergo summam

animi libertatem ac integritatem qua omnia peragant jactitare : desinant elatiori ac superba voce prædicare se in suis investigationibus id tantum curare quod scientiam juvare possit : desinant nobis probro ac ludibrio vertere ea quibus theologos catholicos cæco impetu in omnibus duci aiunt præjudicia; imprudentes iisdem quæ in nos jaciunt telis quam maxime et ipsi feriuntur. Id tantum nos inter et ipsos interest, quod, si quæ sunt a nostris partibus præjudicia quibus in inquirendo regamur, hæc factis historiæ testatissimis, omnibus sanæ critices legibus plane consona et ipsius humanæ rationis decretis belle accommodata comprobamus; adversarii vero et rationis et critices leges perturbant ut ad præjudicatas opiniones vi et injuria historiam torqueant fingantque.

Quid enim? Facta recensentur in libris sacris publica, testatissima, et iis veri notis instructa, ut, ni solem negare volueris, ea reapse contigisse fateri cogaris : at, quoniam miraculosa cernuntur, ea ut talia falsa judicas, quod, inquis, miracula rationi repugnent, et idcirco *a priori* constet ejusmodi facta accidere non potuisse; et porro ex istis placitis universam historiam susdeque vertere non vereris, ratus facta tuis præjudiciis accommodanda, non hæc illis. Præclara sane et rationalismo digna argumentatio!

Nos vero, ut ea, quibus supernaturalismus *a priori* comprobatur, argumenta jam omittamus, ita ratiocinamur : ubi firmis et certis argumentis manifestum est factum quoddam accidisse, quominus huic ulla amplius difficultas ex qualibet opinione ducta opponatur prohibet sana ratio, valet quippe æternumque valebit effatum : contra facta disceptari nefas; et vero factis accommodandæ sunt opiniones. Atqui facta eaque miraculosa quæ in Evangeliis occurrunt certo contigisse liquet; ergo miracula possibilia sunt. Ab esse enim ad posse, ut aiunt logici, valet consequentia. Ergo si quæ foveantur circa miraculorum impossibilitatem opiniones, hæ tamquam minus recte attendentis rationis commenta explodendæ sunt eædemque factis subjiciendæ. A quibus partibus stet sana ratio lector ipse judicet!

At vero perfacili negotio directe etiam et speculative monstrari potest tantum abesse ut miracula cum ratione pugnent, ut contra eorum possibilitas sponte et necessario ex Dei liberi et providi notione consequatur, eamdemque negari non posse quin Deus cæcæ et invictæ necessitati adstrictus statuatur omnesque divinæ dispensationis leges tollantur.

Id quidem probare non renueret Strauss, nec reliqui pantheistæ; sed desinant ergo de religione aut de Deo sermonem instituere, pantheismus namque et religionis et ipsius Dei negatio est.

Hujus autem instituti non est hæc omnia persequi. Id tantum hic adversus miraculorum Christi osores cum S. Augustino etiam in universum notasse sufficiat : si sine miraculis mundus Christo credidit et ab eo

immutatus fuit, id unum adeo portentosum est, ut quævis alia superet miracula omniumque miraculorum maximum sit dicendum (1). Quid enim? Constat Christum et Apostolos, quibus nihil potestatis artisve humanæ inerat, eo successu doctrinam suam prædicasse, ut, quamvis ea omnibus hominum tum pravis cupiditatibus, tum commodis penitus adversaretur, ab innumera tamen multitudine quam primum fuerit suscepta; neque vero paucis annis retenta est ista doctrina, sed ex quo recepta est nusquam dimissa societatemque peculiarem condidit quæ, ne illam rejiceret, tormenta ac supplicia omnium acerbissima diuturno temporis spatio tolerare non dubitavit, quæque inde a Christo ad hanc usque ætatem eadem firma perstitit. En factum publicum, in omnium oculos incurrens, cujusque rationem reddant oportet ipsi rationalistæ : nullus est effectus sine causa, neque hac majorem illum agnosci ullo pacto fert logica; quamobrem si omnino insuetus, portentosus ac supernaturalis conspiciatur effectus, stupenda quoque ac miraculosa agnoscatur causa necesse est; alioqui eo semper recidis ut effectum sine causa habeas; quo quidem necessario ducitur rationalismus, ex cujus decretis christianismus reapse dicendus foret effectus sine causa.

Itaque vel Christi miracula vera habenda sunt, vel omnia repugnantiis plena apparent. Sed de his hactenus.

Finem jam facere licaet methodi protestantismi, quam paucis adumbrare præstitueramus, historiæ. Varia ejus fata celeriori quamquam gradu perlustravimus; quid erroris, quid exitii, quid religioni aut etiam rectæ rationi oppositi in ea delitescat oculis conspeximus.

Initio quidem ipsi protestantes theologi ejus indolem non fuerant assecuti, et quicumque eam aliquatenus saltem serio animo in usum adducere volebant, ut religionis hostes proditoresque a cæteris damnabantur : unde patet his fatentibus methodum illam iniri non posse quin tota labefactetur religio. Et vero theologos sibi constantes ad Indifferentismum brevi illa adduxit, id est, ad religionis negationem. Nondum tamen plene et ex toto ad sacram Scripturam accommodatum fuerat pseudo-reformationis principium. At demum extitit Semler qui constituit libros sacros sine ulla de quovis dogmate præjudicata opinione accipiendos explanandosque : inde tandem ortus rationalismus biblicus, qui mox qua fulgent supernaturali natura Scripturas exuit easque eodem prorsus loco habendas quo scripta profana decrevit. Hinc duplex ille rationalismi surculus, Naturalismus et Mythismus, qui, quoniam nefas

(1) « Si vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem atque adscensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit. » *De civ. Dei*, lib. 22, c. 5.

jam existimabatur quidquam supernaturale agnoscere, libros sacros, ut hos explicaret, reapse de medio sustulit.

Firma igitur manet ea Patrum sententia, quam et nos quoque tuemur, deficiente institutionis atque auctoritatis methodo, fore ut libri sacri sibi permissi non amplius intelligantur, brevi autem et ipsi rejiciantur. At si verum est illud Domini effatum de falsis doctoribus dicentis : a fructibus eorum cognoscetis eos, quid tandem de methodo tales fructus ferente existimandum? Dubio procul eam a vero penitus abhorrere quisque fateatur oportet.

Sed mox ad reliqua properamus, et quum hactenus historice demonstravimus institutionis auctoritatisque methodum inde ab orbe condito circa ea quæ religionis sunt a Deo fuisse institutam, a Christo Domino ad perfectionem adductam; ea vero deficiente, aut etiam imbecilliori modo stante, tum ante tum post Christum religionem ipsam mox nutasse aut penitus collapsam esse; restat ut argumentis speculativis *factum* jam notum ratumque confirmemus ac magis illustremus, et porro exponamus in quo proprie sita sit ea auctoritatis methodus, quique sit christianæ religionis verus ac germanus organismus.

PARS ALTERA, SEU THEORICA.

AUCTORITATIS METHODUS SPECULATIVE CONFIRMATA ET PROUT IN CHRISTIANA RELIGIONE SPECTATUR ILLUSTRATA.

ANTECESSIO.

Quoties de revelatione ac religione comprobanda explorendave sermo instituitur, primum ac veluti nativum sibi locum vindicant argumenta ab historia ducta, reliqua vero, quæ speculativa dicuntur, non nisi adscititia atque adventitia haberi queunt. Facta quippe factis approbantur. At revelatio in se spectata est factum a Deo profectum; testimoniis igitur historicis ea non tantum demonstranda, verum etiam germana ejus indoles ac ratio, qua voluit Deus ut in posterum servaretur hominibusque traderetur, declaranda constituendaque. Probationes cæteræ, quotquot adfuerint, id tantum efficiunt ut rem prius certam ac immoto fundamento nixam confirment illustrentque.

Quapropter in hac nostra commentatione a factis seu testimoniis historicis exordium duximus, ex iisque luculenter, nisi nos opinio fefellit, commonstravimus, quod speciatim ad religionem christianam attinet, auctoritatis methodum fuisse a Domino Jesu reapse institutam. Itaque eo nunc pervenimus, ut catholica methodus vera appareat, protestantismum autem, qui inquisitionis atque examinis privati, omni sublata auctoritate, viam ineundam tuetur, in erratis esse convincatur; quod quidem ex ipsius luctuosa historia abunde etiam confirmatum est. Causam ergo vicimus, et adversarii prostrati jacent inermes.

At ut hæc omnia vera fuerint, hic tamen consistere nefas habemus. Quid enim? Non illud modo nobis præstituimus, ut quæ sit religionis methodus a Christo instituta ostenderemus; sed et is præcipue animus est, ut theologiæ christianæ principia et decreta, hac religionis methodo perspecta, statuamus atque enucleemus. Theologia vero quid est nisi religionis cognitio docta ac erudita? Referat igitur quam accuratissime ipsius religionis indolem ac methodum necesse est, quandoquidem nihil aliud est nisi religio comprobata et, quoad ejus fieri potest, intellecta; sed ea in solis factis hærere nequit. Facta sunt tantummodo scientiæ sedes ac veluti scabellum pedum ejus : scientiæ est factorum rationem et causam inquirere, et leges quibus regantur intimamque eorum naturam perscrutari ac internoscere.

Quamobrem in eo quod versamus argumento parum habetur auctoritatis methodum tamquam *factum* demonstrasse; theologo præterea studendum est ut hujus facti rationem assequatur, simulque præcipua ejus *constitutionis* atque organismi capita perspiciat; ut tandem suî sibi perpetuo conscius, probe sciat qua via incedere debeat, et porro tum sibi tum aliis, maxime adversariis, rogantibus, respondere possit quî cum sanæ rationis decretis factum illud consentiat. Inde vero majori lumine collustrabitur catholicæ methodi veritas variisque adversariorum criminationibus plenius erit satisfactum.

Quæ quum ita sint, id deinceps nobis agendum restat, ut primo quidem argumentis philosophicis et theologicis ostendamus methodi auctoritatem, a Christo Domino institutam, rationis humanæ legibus et christianæ religionis indoli optime accommodatam esse; deinde vero auctoritatis reapse constitutæ præcipuas dotes, munia et vitam potissimum externam sive vim actuosam ob oculos ponamus. Quoniam autem Scripturas quoque sacras Deus largiri nobis dignatus est, adeoque et illæ organismi christiani pars sunt pernobilis, qui locus ex principiis christianis ante demonstratis ipsis sit tribuendus sumus dicturi; et porro de traditionibus non scripto proditis, utpote ad christianum institutum etiam spectantibus, pauca sumus addituri. Atque ita demum universum systema christiano-catholicum intellexerimus ac vindicaverimus.

CAPUT I.

ARGUMENTIS PHILOSOPHICIS ET THEOLOGICIS AUCTORITATIS METHODUS CONFIRMATUR ET ILLUSTRATUR.

Duplicem ob causam non argumentis modo theologicis, e christianæ religionis natura ac scopo ductis, rem agendam esse censeo, sed et probationes philosophicas advocandas. Primo quidem si cum mentis humanæ legibus collatum fuerit *factum* a Christo statutum, ejus rationem melius profecto sumus assecuturi. At id me præcipue movet ut hanc ineam viam, quod protestantes theologi, maximam partem hodie rationalismo addicti, crebro Ecclesiæ auctoritatem rationis humanæ legibus ac juribus repugnare mentiuntur. Quam ob causam manca nec hujus ætatis necessitatibus accommodata videtur methodi catholicæ demonstratio, quæ quæstionem hanc philosophicam omittat. Itaque ut, quoad fieri potest, rectam teneamus viam, argumenta philosophica quibus firmetur institutionis atque auctoritatis methodus paucis saltem, ut fert instituti nostri ratio, attingemus antea quam ad probationes theologicas adducendas aggrediamur.

§ 1.

INSTITUTIONIS ATQUE AUCTORITATIS METHODUS ARGUMENTIS AB HUMANÆ NATURÆ LEGIBUS DUCTIS CONFIRMATUR.

Ecclesiæ institutio procul dubio est factum liberum et *contingens*, a Dei benignitate et sapientia profectum. Deus autem, utpote naturæ humanæ conditor, opus suum optime novit. Quæ ejus jura, quæ necessitates, quæ tandem in universum ejus leges sint, profecto probe perspectum exploratumque habet. Quoniam vero, pro ea qua pollet summa sapientia, omnia numero, pondere et mensura efficit, in promptu est eum quas ipse statuit humanæ naturæ leges nequaquam, cæco velut impetu, lædere aut perturbare posse, sed iis convenienter operari. Hinc simul ac quidquam decrevit hominibus accommodandum, summæ protervitatis ac inscitiæ est asseverare id cum humanæ naturæ legibus pugnare.

Quid ergo? Tune forte adeo insanis, ut quid operi suo conveniat Deum latere sentias, aut certe ei deesse voluntatem potestatemve illud exequendi? Quod si ita non est, cur vel in mentem venit dubium an fieri non possit ut Deus ejusmodi viam ineat hominibusque pariter ineundam præcipiat quæ eorum naturæ repugnet?

Quum igitur ex priori parte constet a Christo, Dei Filio, institutam fuisse auctoritatem quæ homines ea quæ religionis sunt edoceret eosque regeret, *a priori* conficitur tantum abesse ut Ecclesiæ auctoritas ab humanæ naturæ legibus abhorreat, ut contra iisdem ex toto consonare dicenda sit.

Verum his in antecessum monitis, ad eas ipsas leges cominus inspiciendas accedamus.

Naturæ leges exterius produntur potissimumque agnoscuntur factis universalibus, quæque semper eadem appareant : id, ni fallor, nemo in dubium vocaverit. Hoc enim pacto de mundi physici legibus judicium ferre solent disciplinarum physicarum periti; atque, ubi ejusmodi facta occurrunt, nullus dubio locus superesse creditur. Quod autem de mundo physico decernunt omnes, cur non idem de mundo spirituali constitueretur? Utrinque enim parem rationem haberi manifestum est.

Itaque quod semper, quod ubique, quod eodem modo fit, id lex naturæ putandum est.

Quo constituto, quæ tandem sit naturæ lex in eo quod agimus argumento brevi oratione declarari potest.

Enim vero si vel oculos conjicere volueris in ea quæ perpetuo inter homines fieri cernuntur, res tibi illico extra dubium habebitur. Quid igitur? Homo is esse conspicitur qui in aliorum suî similium consortio vitam agat ab iisque instituatur ac edoceatur. En factum quod ubique temporum et locorum idem semper apparet.

Ubi in lucem editur homo, a parentibus aliisve, qui horum vices quopiam pacto gerant, suscipitur, nutritur et ab injuriis imbecilliori vitæ impendentibus servatur; et, quoniam non corpore tantum, sed et anima constat, pari ratione hujus et illius cura habetur : lac matris corporeum sugens, infans ab ea lac institutionis per sermonem simili modo excipit, et porro a magistris excipere pergit; atque ita mens perinde ac corpus evolvitur explicaturque. Hinc homines, quorum facultates intellectus in exercitium jam fuerunt adductæ, cum aliis per sermonem communicant iisque una cum sermone notitiam idearum in eorumdem mente hactenus delitescentium tradunt, et hoc modo hi quoque rationis usum expeditum consequuntur. Id quotidiano experimento comprobatur : ubique gentium homo, antea quam ad usum rationis perveniat aut loquatur, prius ab aliis discit et eruditur. « Concedant, inquiebat Augustinus, necesse est unumquemque nostrum et ab ineunte pueritia consuetudine audiendi linguam suam didicisse, et aliam aliquam vel græcam vel hebræam vel quamlibet cæterarum, aut similiter audiendo, aut per hominem præceptorem accepisse (1). »

Quæ quum ita sint, quis dixerit eam non esse mentis humanæ legem,

(1) *De doctrina christ. Prolog.* n. 5.

ut primam veritatum metaphysicarum et moralium distinctam notitiam per externam institutionem assequatur? Nisi enim illud fatearis, negandum est, id quod omnes omnino tenent, naturæ leges factis universalibus iisdemque perpetuis manifestas fieri.

Quocirca quid jam prohibet quominus dicamus hominis mentem, si defecerit externa institutio, evolvi non posse, sed eam perpetuo veritatum metaphysicarum et moralium cognitionis rudem extituram? Scilicet quamquam deesset quodcumque aliud argumentum peculiare quo thesis hæc nostra firmaretur, factum istud constans et universale mihi eidem adstruendæ sufficere videretur. Etenim omnia profecto summa sapientia Deus disposuit, nec quidquam supervacaneum constituit: quoniam ergo voluit ut inter homines alius alium doceret et ad usum rationis adduceret, quis asseverare ausus fuerit hominem, hac via deficiente, ad expeditum facultatum suarum exercitium pertingere posse? Si extra viam versaris, cur terminum sis assecuturus? Si extra statum in quo tuæ mentis conditor Deus te collocavit, quique idcirco lex naturæ putandus est, erras, quid mirum si mens sterilis ac inculta perstiterit?

Atque hanc, quam dicimus, naturæ legem esse et quidem ita firmam, ut *nihil exceptionis capiat*, luculenter approbant facta quædam singularia. Ea autem pro instituto nostro leviter tantum attingemus seu potius solum indicabimus.

Illa argumenta, quibus evincitur externæ institutionis methodum unicam viam esse qua homo ad veritatum moralium ac metaphysicarum notitiam pertingat, inde potissimum ducuntur quod factis peculiaribus constat eos omnes qui hac via carent, reapse in earum veritatum ignoratione versari. Duplex vero factorum genus hic occurrit : alia ad eos homines spectant qui a prima infantia ab aliorum commercio penitus segregati fuere sicque adolevere; alia ad surdos mutos attinent qui, quamquam inter medios homines vitam agant, nondum modo eorum miserando statui accommodato fuerunt edocti.

Quidam igitur homines extitere, a teneris annis ab omni cum suî similibus commercio, præsertim intellectuali, remoti; atque nullus horum per semetipsum veritatum quas supra diximus cognitionem est consecutus. Nec dicat quis illos forsitan defectu aliquo peculiari laborasse, cui hæc eorum ignoratio sit tribuenda; nam primo ejusmodi ratiocinatio ut arbitraria et fictitia jure merito in universum rejici posset; at factis ipsis non arbitraria tantum, sed et falsissima demonstratur. Etenim ex miserrimis istis hominibus plures, ubi aliorum communioni sunt restituti, mox docentibus aliis veritates illas didicerunt et cognoverunt. Eam igitur unam ob causam omnis cognitionis expertes prius fuerant, quod institutione carebant.

Idem evincitur ex miseranda surdorum mutorum conditione. Hodie quippe compertum exploratumque est eos notionum moralium ac meta-

physicarum rudes exstare, donec congrua methodo fuerint instituti (1). Quamquam non tantum mundum hunc aspectabilem, qui enarrat gloriam Dei, conspiciant, sed etiam christianis parentibus utantur et idcirco plurima religionis signa perpetuo ob oculos habeant, Deum tamen ignorant et ea solum quæ in sensus cadunt assequuntur. Verum simul atque congrua accessit institutio, res quæ supra sensus versantur facile addiscunt, et mens eorum hactenus consopita brevi excitatur et porro evolvitur. Hinc etiam conficitur ideo tantum eos Dei et omnium rerum quæ sensibus haud subjiciuntur ignoratione teneri, quod ipsis desit apta institutio.

Itaque omnino expeditum est eos omnes qui ex quocumque infortunio institutione caruerint pari modo veritatum moralium ac metaphysicarum cognitione, qua proprie constat rationis usus, destitutos existere. Quo constituto præclare illustratur firmaturque ea quam ante declaravimus naturæ lex.

Aliud porro afferri potest argumentum ejusdem theseos comprobandæ causa ex sermone ductum, quatenus is necessarius est notionibus metaphysicis exprimendis. Quoniam homo duplici constat substantia, anima et corpore, nihil agit nec agere potest quod hujus duplicis naturæ indolem non aliqua ratione referat. Huic igitur ejus naturæ conditioni obnoxiæ etiam sint necesse est ipsius mentis cognitiones et cogitationes. Hinc cogitare nequit quin intercedat signum *sensibile;* quoniamque cognitionis *objectum* duplex omnino cernitur, unum sensibile, alterum in sensus non cadens, consequitur hoc posterius a mente distincte percipi non posse nisi et ipsum formam quamdam sensibilem induerit qua veluti definiatur, et ita secundum naturam mentis corpore utentis eidem obvium fiat. At forma hæc sensibilis, qua una indutæ ideæ supra sensus positæ menti bene visibiles et aspectabiles obversantur, sermo est. Is est nexus, hoc vinculum quo mundus invisibilis humanæ menti præsens et visibilis objicitur; atque deficiente sermone homo nec reflexe cogitare posset, nec veritates a sensibus remotas unquam vere et distincte percipere.

Arctissimam illam necessitudinem sermonem inter ac rerum in sensus non cadentium distinctam perceptionem et porro reflexam cogitationem, hodie agnoscunt philosophi omnes, quotquot rem aliquo studio perpenderunt; nec christiani modo philosophi illud asserunt fere universi, sed et consentiunt ipsi rationalistæ; ita ut decretum istud communi omnium scholarum calculo jam probetur, nec in controversiam deinceps adduci ulla ratione posse videatur. Et vero qui ad suæmet ipse mentis operationes vel aliquantulum attendere voluerit, brevi istius doctrinæ firmitatem compertam habuerit, quam cæterum vel *a priori* veram suadet duplex hominis natura (2).

(1) Hac in re legi meretur opus Lovanii editum quod inscribitur : *Recherches sur les connaissances intellectuelles des sourds muets*, etc. Louvain 1847.

(2) Mutuum illum qui sermonem inter et reflexam cogitationem interest

Rationalistæ tamen, qui nobiscum hac in re plane consentiunt, non ideo confitentur sermonis et proinde ipsius rationis usum ab aliena institutione pendere; sed aiunt utriusque exercitium prorsus *spontaneum* esse, et verba sua sponte ac ultro una cum ideis quas exprimant menti obversari. Verum hæc adversariorum fictitia hypothesis merum commentum est philosopho gravi, qui rem non verbis et vocibus tantum sed rationibus agendam censet, perindignum : id perpetuo et universali experimento repugnat, nec ullus unquam visus est homo qui sic sua sponte citra aliorum jam loquentium institutionem sermocinatus sit, nullus qui sibi ipse linguam condiderit : singuli homines a suî similibus in quorum

nexum, illiusque necessitatem ut mens ideas supra sensus positas distincte percipere queat, præclare depingit Gioberti : « La pensée se replie sur elle-même et se redouble, pour ainsi dire, dans la réflexion, au moyen des signes : les signes sont l'instrument dont l'esprit se sert pour recomposer le travail intuitif, ou plutôt, pour reproduire intellectuellement le type idéal... Les signes sont comme les couleurs dont nous nous servons pour tracer et peindre le dessin de la pensée : et c'est pour cela que le langage est nécessaire aux idées réfléchies... La parole est nécessaire pour repenser l'idée (ideam dicit ens infinitum quatenus menti objicitur et in eo omnia *intelligibilia* contuemur), parce qu'elle est nécessaire pour la déterminer... Dans la première intuition, la connaissance est vague, indéterminée, confuse; elle est dispersée et éparpillée au point qu'il est impossible à l'esprit de s'en saisir, de se l'approprier véritablement, et d'en avoir une conscience distincte... La seconde intuition, c'est-à-dire, la réflexion, éclaircit l'idée en la déterminant, et la détermine en la faisant une, c'est-à-dire, en lui communiquant cette unité finie qui est propre non à l'idée, mais à l'esprit créé. De cette sorte les rayons de la lumière idéale convergent en un seul foyer, et produisent par cette convergence la lucidité et la précision propres à l'acte réfléchi. Mais comment un objet infini peut-il être déterminé, et comment peut-il être tout ensemble connu en tant qu'infini? Cela se fait par l'union admirable de l'idée avec la parole. La parole limite et circonscrit l'idée, en concentrant l'esprit sur elle-même, comme sur une forme limitée au moyen de laquelle il perçoit réflexivement l'infini idéal... Cependant c'est en elle-même que l'idée est repensée, c'est dans sa propre infinité qu'elle est vue, quoique la vision s'en fasse d'une manière finie, par le signe qui revêt et circonscrit son objet. La parole est en un mot comme un cadre étroit dans lequel l'idée illimitée se restreint pour ainsi parler, et se proportionne à la force limitée de la connaissance réflexe. Avec un peu d'attention chacun peut faire sur soi-même l'expérience de ce fait intellectuel qu'il est impossible d'expliquer, difficile d'exprimer, mais qui est aussi clair et aussi indubitable que tout autre phénomène psychologique. » — Et paulo post hæc etiam scite addit auctor : « La parole, comme tout signe, est un sensible. Si donc elle est nécessaire pour qu'on puisse repenser l'idée, il s'ensuit que le sensible est nécessaire pour qu'on puisse réfléchir et connaître distinctement l'intelligible. Ce fait est en harmonie avec la nature de l'homme, être mixte, composé de corps et d'âme. » *Introd. à l'étude de la philos.* tom. I, ch. III, p. 259-263.

consortio versantur sermonem accipiunt, et ea loquuntur lingua quam audierunt didiceruntque; iis autem quibus defuit externæ institutionis adminiculum, deest quoque sermonis usus. Qui quoniam, fatentibus ipsis rationalistis, ideis metaphysicis percipiendis conditio pernecessaria est, conficitur eos harum ignoratione penitus teneri. Itaque conjunctissima ea quam omnes pene agnoscunt sermonis et expeditæ rationis necessitas thesim superius institutam luculenter itidem demonstrat.

Quibus omnibus ita expeditis, id deinceps firmi atque inconcussi principii loco nobis assumere liceat, leges quibus mens humana regitur adeo externam institutionem efflagitare, ut hac deficiente ne primam quidem rerum moralium ac metaphysicarum cognitionem assequi possit. Quo constituto, plane corruunt criminationes quibus rationalismus institutionis atque auctoritatis methodum exagitare consuevit, ut quæ nativis humanæ rationis juribus adversaretur.

Imo vero non elinguis tantum redditur rationalismus, sed et funditus convellitur nec amplius nisi ut ingenii somniantis et præposteri deliramentum haberi potest : sublato enim eo in quo vertitur principio, ipse quoque corruat necesse est. At quivis rationalismo addictus id sacri decreti instar sumit, hominem sibi uni permissum, citra alienam institutionem, intellectus facultates evolvere posse. Inde autem duo in primis consectaria elicit, quorum gratia decretum illud tanto studio adsciscit ac mordicus tuetur. Consequi nempe ait primitivam revelationem, quam christiani defendunt, supervacaneam esse et idcirco ut superstitionis figmentum explodendam ; Deus quippe nihil præter utilitatis causam efficit, homo autem solis suis viribus nixus ea quæ ad religionem spectant invenire potest, nec opus est ad primi institutoris interventum confugere. Porro magisterii cujusdam institutionem, cujus sit homines erudire ac docere, æque inutilem convinci dicunt adversarii. Ex quo demum confici volunt, ea omnia exagitanda ac propulsanda tamquam figmenta humana, quibus mens haud ferendæ servituti addicatur et, reclamante naturæ voce, nativæ libertatis juribus miserandum in modum destituatur.

Quoniam igitur universis naturæ, quas insulse venditat, legibus repugnat rationalismi principium, profligatus ipse imbellis jacet ; criminationes vero quibus catholicam methodum afficit nihil amplius habent virium, sed ridendæ sunt ægrotantis petulantiorisve animi querelarum instar, qui, ut sibi aliisve fucum faciat, stolido ore perpetuo clamitet a cæteris omnibus rationis leges violari, quas ipse belle aspernetur et quotidie infringere non dubitet. Prostestantismus etiam, qui, si sibi ex toto constaret, cum rationalismo convenire deberet et quemvis hominem suis ipsius viribus permittere, æque naturæ adversari approbatur ; plane enim liquet hominem, si sibi permitteretur, omnis veritatis expertem æternum permansurum, hanc autem mentis humanæ naturam esse, ut

non ipsa sibi dux ac magistra sit, sed ab alio veritatem discat accipiatque. Ea ergo una methodus quæ tenet hominem externa institutione erudiendum esse naturæ legibus omnino consonat; quin etiam ea ut legis institutionis expressio singularis ac *positiva* habenda est. Nempe qui legem condiderat eam agnovit et denuo circa ea quæ religionis sunt peculiari ratione definivit ac expressit.

Porro eamdem institutionis atque auctoritatis methodum naturæ legibus ex toto consonare alia etiam ratione ostenditur. Quid enim? Oculos conjiciamus in hominum societatem quorum ratio non jam consopita sed bene exculta est; inspiciamus humanum commercium prout ubique et perpetuo cernitur : nonne id efficit quotidiana necessitas, ut alii aliis fidem habere debeant in rebus etiam gravissimis? Nonne fides illa mutua universa societatis vincula continet? Quis ergo dixerit fidem, quam Ecclesiæ magistræ adhibendam præcipiunt catholici, humanæ naturæ juribus adversari, dum quotidiano experimento constet inter homines pene omnia fide agi eademque contineri? « Quæro enim, ait Augustinus, si (uti volunt rationalistæ) quod nescitur credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant quos parentes suos esse non credant? Non enim ratione ullo pacto sciri potest : sed interposita matris auctoritate de patre creditur : de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest, aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, et sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim non videat pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Qui contra non exterminandum judicaverit, qui veros fortasse parentes minime dilexerit, dum ne falsos diligat metuit? *Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanæ societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum* (1). »

Ea igitur est humani consortii lex, non ut quisque sibi permittatur sibique uni fidat, sed ut homo homini fidem habeat, utque alius ab alio doceatur. Nullus est hominum qui, in agendo, legem hanc naturæ aspernetur atque ab ea se solutum præbeat. Et vero, quod acute notavit Augustinus, « *ipsa charitas, quæ sibi invicem homines nodo unitatis adstringit, non haberet aditum refundendorum et quasi miscendorum sibimet animorum, si homines nihil discerent* (2). » Sublata lege institutionis, tolleretur præcipuum societatis vinculum.

Attamen legem illam supremam, in ea quæ nunc est naturæ conditio-

(1) *De utilitate credendi*, c. XII, n. 26.
(2) *De doctrina christiana*, *Prolog.* n. 6.

ne, multis laborare vitiis nemo negaverit; quæ quidem vitia Christus, eamdem illam in re religiosa restituens, emendare debuerit.

Scilicet ex quo peccatum hominem infecit atque ab Auctore suo disjunxit, universus rerum ordo perturbatus ac in pejus immutatus est. Si homo in via recta in qua primitus a Deo constitutus fuerat fidelis perstitisset, pater tenerrimis filiorum animis veritatem integram illibatamque instillasset, et institutio societati concredita semper recta tutaque fuisset; at ex quo peccatum omnia quæ Deus statuerat deformavit, externa institutio, quæ lex naturæ permansit, sæpius non veri sed erroris fons uberrimus extitit. Homo namque a veritatis tramite quam facillime deflectere potest sæpiusque deflectit; et quoniam qui in erratis versatur magister verum discipulo tradere nequit, hinc fit ut ea institutionis lex, a prima conditione desciscens, falsi venenum homini creberrime objiciat.

Itaque optimus naturæ instaurator Christus quidquid eidem legi inerat vitii, in eis quæ ad religionem spectant correxit, magisterium constituens immotum ac falli nescium, cujus est singulos qui ipsi obtemperant homines veritatem puram docere et errorem ab eorum intellectu prorsus arcere. Lex institutionis, corrupta et adulterata, in catholica Ecclesia ad primam perfectionem revocata est : ab hac divina matre lac doctrinæ semper purum et nitidum infans excipit, nec amplius verendum est ne lactis specie venenum ipsi propinetur. Quæ quum ita sint, apertum est catholicam methodum humanæ rationis legibus præclare respondere, et auctoritatem quam a Christo institutam tuemur rectum naturæ ordinem restituisse. Sed hæc de argumentis philosophicis breviter delibasse satis sit; ad argumenta theologica illustranda gradum faciamus.

§ 2.

INSTITUTIONIS ATQUE AUCTORITATIS METHODUS ARGUMENTIS AB INDOLE ET SCOPO CHRISTIANÆ RELIGIONIS DUCTIS CONFIRMATUR.

Quid sit Christi revelatio? Quæ ejus indoles? Quis scopus? Hæc jam docuit pars historica. In his terris versatum est Verbum caro factum, *plenum gratiæ et veritatis*, collapsum hominum genus instauraturum. Plura igitur illustravit aut etiam revelavit dogmata quæ ad hominem perficiendum eumque ad finem supernaturalem adducendum conferrent, atque instituit uberiores gratiæ fontes quibus hujus infirma voluntas adjuvaretur ac eidem robur novum adderetur, sicque demum homo integer nova fieret creatura. Et vero quoniam Christus, utpote Dei Filius, nulli alteri in posterum pleniorem revelationem hominibus allaturo viam sternere poterat, quemadmodum ipsi paraverant Moyses et pro-

phetæ; decebat enim eas quæ præiverant revelationes rudiores nec omnibus numeris absolutas esse, ut ita a solo Dei Filio omnia perficerentur explerenturque; quoniam, inquam, nulli deinceps revelationi locus relinquitur, ea est et esse debuit Christi revelationis indoles, ut non ad tempus, sed in perpetuum permaneat omniumque ætatum homines illustrare ac instaurare possit. Idque re ipsa fuisse Christo Domino propositum in promptu est, nec ab ullo christiano in dubium vertitur. Videamus ergo num ea christianæ revelationis indoles, nisi divinitus instituta agnoscatur auctoritas, ulla ratione consistat.

Omnis revelatio, in se spectata, est factum quod actu perficitur et una cum actu transit. Actus ille quo Deus hominibus quidpiam revelat breviori longiorive tempore effici potest, sed tamen per se necessario fugax est. Sic Christus aliquot annis inter homines, humanæ naturæ particeps ipse, visus est, eisdem novæ religionis decreta traditurus; sed post aliquod temporis spatium e vivis sublatus aspectabili specie terram orbatam reliquit, atque in cœlos ascendit ad dexteram Dei Patris in æternum sessurus. En revelatio christiana prout ea spectatur ut factum actu perfectum et una cum actu transiens.

Verum revelatione ita peracta, an forte omnia ideo expleta sunt? An absolutum Christi revelantis opus? An quas tradidit veritates deinceps missurus est, eas fortunæ aut hominum arbitrio quasi permittens? An priusquam e terris discedat nullum conditurus est institutum quo dogmata præceptaque a se exposita in posterum integra ac pura consistant omnibusque hominibus tradi possint?

Nisi hoc fecerit Christus, opus ejus nequaquam ut vere divinum, sed ut systema quoddam, præclarum quidem, at mere tamen philosophicum et humanum habeamus oportet : in præstantissimorum antiquitatis philosophorum catalogo censendus venit ipse, Deus autem et divinæ religionis artifex putari nequit, propterea que rationalismus causam plane vicisse existimandus est. Plurimos sane, quemadmodum Socrates, ob doctrinæ ac morum præstantiam nactus fuerit discipulos; sed quoniam nullam instituerit auctoritatem semper vivam ac divina virtute agentem, doctrina ejus, ut et Socratis, in scholas quidem philosophicas adscisci poterit ibidemque enucleari et explicari; quin etiam ex ea quandoque docti ac spectati viri populorum forsitan mores emendare ac informare studebunt, quod illa ipsis omnium admiratione digna visa fuerit, at, deficiente auctoritate, decreta illa nusquam nisi ut humani ingenii, quamlibet præclari, fœtus et tradi et suscipi poterunt.

Equidem si singulari cuidam viro, aut etiam aliquot hominibus, in eorum tantum commodum facta fuisset Christi revelatio, facile assequor cur et vera haberi posset et divina, quamvis auctoritatem firmam non condidisset qua illa servaretur et propagaretur. Nihil quippe hujusmodi postulasset ea revelatio. Verum non in unius aut aliquorum tantum

gratiam Christus in hoc mundo apparuit, sed totum hominum genus instaurare decrevit. Quamobrem vel cum rationalistis repellenda *supernaturalis* Christi revelatio, vel ad eam conservandam, docendam et interpretandam divinitus constitutam esse ab eodem auctoritatem omnino confitendum est.

Id hodie non pauci agnoscunt theologi protestantes, nihilque ideo medium conspiciunt inter catholicismum et rationalismum. « Si religio supernaturalis creditur, ait Stæudlin (1), item fateamur necesse est Deum, qui revelationem hominibus largiri dignatus sit, providisse etiam ut istius revelationis sensus hominum arbitrio non foret permissus : quicumque hoc principium non recipit, secum ipse pugnat. » Alii aiunt itidem ut religioni supernaturali unice accommodatum merito habitum esse dogma catholicum de infallibili Ecclesiæ auctoritate (2). Ubi de divina revelatione sermo instituitur, inquiunt alii, eodem loco habendum est decretum de Ecclesiæ infallibilitate ac illud de divina Providentia, si circa creationem quæstio versetur : alterum sine altero consistere nequit (3). Quæ quidem comparatio præclara certe et ex toto accurata nobis semper visa est. Quid igitur? Peracta mundi universi creatione, non repente discessit Deus nec creaturas suis ipsarum viribus aut arbitrio reliquit : *non creavit et abiit*, ut ait S. Augustinus, sed in opus suum agere perrexit, illud *conservans* ac peculiari cura regens gubernansque : id postulabant Dei attributa, id efflagitabat etiam creaturarum natura; atque; nisi admittatur conservatio, quæ cum Providentia jungitur, tollenda item est creatio et cum pantheistis atheisve dicendum omnia necessario ac cæco impetu agi continerique, nec idcirco Deum omnipotentia, sapientia ac libertate præditum haberi posse. Pari autem ratione neganda ac respuenda prorsus supernaturalis ac divina Christi revelatio, nisi item agnoscatur auctoritatem etiam supernaturalem ac divinam fuisse a Christo institutam.

Fateamur ergo omnes qui Christi revelationem tuemur eum non revelasse et confestim abiisse; sed quemadmodum Deus ea quæ creavit conservat ac disponit omnia attingens a fine usque ad finem fortiter, ita quoque dicamus Dei Filium providisse, ut revelatio a se tradita conservaretur ac regeretur idonea atque ejus indoli scopoque consentanea ratione.

Quoniam igitur ipse brevi ab his terris *abiit*, necesse est ut in iis peculiari modo *perstiterit*, inceptum opus persecuturus et tandem absoluturus. Hinc conficitur Christum sibimet institutum quoddam sufficere debuisse, quod suî vices gereret ipsiusque personam in docendo, illumi-

(1) Stæudlin's *Magazin*, tom. III, p. 83; Cf. Hœninghaus, *La Réforme contre la Réforme* etc., traduit de l'allemand, Louvain 1847, tom. I, p. 98.

(2) *Götting'sche Bibliothek*, 1797, tom. III, p. 721.

(3) *N. Quartalschrift Jahrgang*, tom. IX, n. 3.

nando, emendando ac sanando referret; ita ut quemadmodum conservatio continuata creatio recte dicitur, sic et revelationis Christi conservatio continuata revelatio haberi posset. Is enim non est Deus qui opus incipiat, et inceptum statim deserat; quod cœpit absolvit, et qua exorsus est sapientia, eadem quoque perficit. Itaque quemadmodum aspectabili et viva forma indutus Dei Filius, ut homines doceret, sanaret ac regeret, orbem hunc invisere non renuit, ita ejusmodi condere debuit auctoritatem vivam, visibili specie omnibus conspicuam et itidem divina virtute præditam, adeoque erroris nesciam, in æternum, prout efflagitat christianismi perpetuitas, permansuram, quæ eadem illa munia, ipso intus movente ac veluti mentem infundente, tuto perageret.

Quæ quum ita se habeant, plane expeditum est auctoritatis institutionem a Christi revelatione sejungi non posse, vel sola revelationis *divinæ* notione spectata; et porro, ut Christi scopo respondeat, talem esse debere qualem tuentur catholici.

Quam thesim sic ratiocinio perspicuo confectam facile foret argumentis aliunde ductis, factis scilicet et longo sæculorum experimento firmare.

Ut enim in priori hujus operis parte vidimus, Deus, ut veram religionem terrarum finibus prorsus exterminatam non sineret, apud populum electum auctoritatem constituerat quæ rectam doctrinam servaret traderetque; ethnicæ autem gentes, quibus hoc deerat subsidium, brevi in omnes errores eosque turpissimos lapsæ sunt, nec prius accepta dogmata tenere potuerunt. Attamen multum discriminis interest inter Christi revelationem et eam quæ primitus a Deo facta fuerat. Hæc quippe circa religionis naturalis decreta pene tantum versabatur; illa vero quam plurima doctrinæ capita supernaturalia ac *positiva* complectitur; alia perpaucis dogmatibus constabat, multis iisque difficilioribus, cum humanæ rationis notionibus minus perspicue cohærentibus, constat altera. Oculos ergo paulisper conjicias, velim, in luctuosam admodum ethnicarum gentium historiam, atque inspicias quid, deficiente auctoritate divinitus constituta, apud illas vel de primariis religionis naturalis decretis actum fuerit : ubique quam fœdissimi errores occurrunt; dogmata illa passim ignota aut adulterata cernuntur, et ipsius Dei notio corrupta apparet. En quo adduxit auctoritatis inopia! Eo res devenit ut a nemine, ut opinor, in dubium vocari possit hæc propositio : *sicubi defuit auctoritas, ibi et defuit veritas.*

Quis igitur hæc conspiciens asseverare non veritus fuerit Christum Dominum secundum divinam qua pollebat sapientiam egisse, si nullam condidisset auctoritatem, nec illud constituisset magisterium quod in Ecclesia catholica cernitur? Ego sane haud assequor quî supernaturalis Christi revelationis defensor quisquam tam apertas repugnantias ferre queat.

Neque vero opponas ethnicis populis libros sacros e quibus veram

doctrinam eruerent defuisse, at christianis non item. O admiranda ingenii tarditas stupendaque nimis animorum cæcitas! Libros emortuos nec vocem edere valentes Christo vivo et loquenti atque homines erudienti supponis! Novum profecto et inconsuetum docendi genus! Tene ergo fugit libros per se nihil vitæ ac virium habere, quo et se ipsos tueri et homines edocere possint? *Emortua* littera atque humi jacens populorum magistra ac institutrix prædicabitur, quæ novam illis instillet *vitam* eosque sursum erigens plene et ex toto instauret! At vero si auctoritatem sustuleris quæ libros istos probe custodiat eosdemque ut vere divinos christianis exhibeat, qua ratione certo, ac prout postulat rei momentum, noveris Christum curasse ut quæ hominibus tradere volebat decreta scripto proderentur? Quo pacto libros istos sacros ac divinos esse reperire poteris? Finge tibi nullum a Christo conditum fuisse institutum firmum ac immotum, nullam proinde constitutam fuisse societatem externam, visibilem, proprio organismo utentem, in qua et a qua una cum integra religione servarentur Scripturæ ut sacræ et divinæ; atque si hoc portentum vel cogitando ferre potueris, dic, quæso, ubi sacras litteras quæsieris; dic utrum de divinis et certis libris vel sermo esse queat? Scilicet profana scripta profanis, sacra vero sacris testimoniis nituntur. Sane mihi dubium non est quin protestantes omnes, nisi ab initio extitisset externa ac divina societas a qua libros sacros acceperant dum ab ea defecerunt, eosdem penitus nescirent et ignorarent : soli autem docti illos notos haberent prout norunt Platonis et Tullii scripta, at humanam tantum, si tamen aliquam, iis auctoritatem tribuerent. Quod quidem nimis luculenter eorum experimento comprobatum est, qui veræ societatis christianæ a Christo conditæ auctoritatem prorsus contemnunt ac irrident.

Bene igitur hactenus habet. Sed ex alio quoque capite firmissimum duci potest argumentum quo auctoritatis a Christo institutæ necessitas probetur. Supra diximus, idque omnium christianorum assensu approbatur, Christo Domino propositum esse integrum genus humanum instaurare et ad agnoscendam veritatem adducere. Necesse est ergo ut ejusmodi viam instituerit qua omnes ire valeant, sicque viæ terminum consequi. At maxima hominum pars imbecillioris aut incultioris est ingenii, nec ipsi sive per tempus, sive præ ea qua laborat ignorantia aut animi tarditate, licet inquirere quæ Christus tradiderit; imo vero si sibi plane permitteretur, nec si Christus extiterit noscere posset. Quid? An tantæ hominum multitudini negandam religionem putas? « Neque enim, ut aiebat S. Augustinus (1), tibi quivis homo in tanta rei cupiditate ullo modo deserendus aut respuendus videri potest. » Et certe nullum, quod et tu fateris, deserendum aut respuendum voluit Christus,

(1) *De Utilitate credendi*, c. X, n. 24.

cujus mentem perbelle efferebat Apostolus Paulus dum prædicabat : « Græcis et barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum (1) » Quamobrem hinc rursum conficitur Domini scopum expostulasse ut auctoritatem institueret qua et insipientes æque ac sapientes possent ad agnitionem veritatis venire. Quoniamque, ut secundum Christi propositum semper pura ac integra tradatur religio, tuta itidem ac omnino secura esse debet hominum institutio, liquet hujusmodi auctoritatem statui oportuisse quæ erroris plane nescia citra ullum item errandi periculum christiana decreta populos edoceret. Id cum Christi revelationis scopo tam arcte cohæret, ut hic sine illo stare nequeat; quapropter aut apertissima christianismi indoles neganda ac respuenda est, aut perinde agnoscendum illud quod inde eruebamus consectarium; secus enim ex hoc quoque capite in mediis versaris repugnantiis.

Idem hoc argumentum premere possem atque ad omnes homines transferre, quippe qui non omni scientiarum apparatu instructi in lucem eduntur, sed pedetentim discendo et audiendo docti fiunt, proptereaque aliquandiu saltem (2) auctoritate egent. In memoriam etiam revocari possunt quæ superiori § de mentis humanæ legibus disseruimus; quæ si cum revelationis Christi scopo collata fuerint, perspicue patebit ipsum non potuisse quin magisterium institueret tanto perseveraturum tempore quanto ipsam hanc revelationem. Verum ea evolvere non est necesse; hactenus dicta ad thesim elucidandam ac confirmandam satis sint.

Itaque ipsa supernaturalis ac divinæ revelationis notio, Christi religionis indoles ac scopus, firmitas quæ revelatis decretis in perpetuum inesse debet, hominum conditio huic scopo comparata, prorsus efflagitant auctoritatem aspectabilem, vivam, perpetuam, nunquam deficientem, erroris nesciam, quæ Christi vices in his terris suppleat, semper vi divina agat, et quodvis genus homines erudiat, informet ac plane instauret. Qui id approbare renuerit, is aut christianus dici nequit, aut rationis expers mihi habendus videtur. Quæ quum ita sint, allata jam ac probata ratione tum philosophica tum theologica auctoritatis a Christo institutæ, reliquum est ut hujus auctoritatis naturam magis enucleemus præcipuasque ejus notas expendamus.

(1) *Rom.* I, 14.

(2) Semper in re religionis certa auctoritate ipsis doctis opus est, sed hic auctoritatis necessitatem ex ignorantia et imbecilliori hominum ingenio evincere tantum volumus.

CAPUT II.

AUCTORITATIS A CHRISTO CONSTITUTÆ INDOLES MAGIS DECLARATUR AC ILLUSTRATUR, ILLIUSQUE IN SE SPECTATÆ ORGANISMUS PAUCIS DESCRIBITUR.

Hactenus vidimus auctoritatis methodum humanæ naturæ legibus ad amussim consonare, et porro omnia quæ supernaturalem Christi revelationem circumstant omnino exposcere ut divinus christianismi auctor summam et æternum permansuram instituerit auctoritatem. Hujus ergo naturam jam aliquantulum pro argumenti necessitate attigimus. At deinceps præcipuas illius dotes pressius persequi et dedita opera definire debemus. Eo autem ordine id sumus præstituri, ut primum dicamus de ista auctoritate in se spectata, deinde eam consideraturi prout magis peculiari ratione cum hominibus, in quorum commodum instituta est, communicat eosque informat ac dirigit; quamquam tamen duo hæc, ut videbimus, prorsus sejungi non possint. Atque duplici quoque modo auctoritatem a Christo conditam prout ea in se consideratur, spectabimus, hac quidem lege ut primum de dotibus generalioribus velut in abstracto disseramus, postea qui sit ejus organismus *concretus* enarraturi.

§ 1.

AUCTORITATIS A CHRISTO CONSTITUTÆ PRÆCIPUÆ NOTÆ AC DOTES EXPONUNTUR ATQUE ILLUSTRANTUR.

Nunc ergo peculiari studio quæritur quæ tandem sit illa auctoritas quam a Christo Domino reapse institutam fuisse hactenus comprobavimus? Probe semper tenendum est nos non solis argumentis speculativis rem agere, perinde ac si hæc cum historicis non cohærerent, sed, ut in principio monuimus, constituta tamquam *facto* catholicæ methodi veritate, deinceps ejus rationem et naturam ratiocinando assequi contendimus.

Porro docuit historia auctoritatem hanc, de qua loquimur, esse Ecclesiam, quam sanctus martyr Ignatius jam *catholicam* nominabat, cujus, Christo mortuo, Apostoli duces fuere; hi autem alios instituere qui suî vices gererent, populisque Domini doctrinam ac gratiam pari jure ac firmitate traderent. Quæ igitur Ecclesiæ catholicæ natura? Quæ dotes præcipuæ?

Haud difficile fuerit eam quæstionem absolvere, dummodo relationes quæ Christum inter et Ecclesiam intercedunt conspexerimus.

Ecclesia est viva ac germana Christi imago et effigies, atque iis pene dotibus instructa sit oportet quæ in Christo cernuntur. Christus enim, ut diximus, non revelavit et abiit; sed qua ratione hominum doctor ac instaurator in terris apparuerat, eadem deinceps per Ecclesiam suam populos edocere ac instaurare perrexit; sibi ipse suffecit Ecclesiam per quam inceptum opus in perpetuum persequeretur et absolveret. Quoniam quam simillime Ecclesia Christum refert atque ejus opus perficere pergit, integram ergo eamdemque illibatam in se gerit Domini revelationem : tota christiana religio in Christo, dum in hoc mundo versaretur, inerat, illamque plene gestabat ipse cum hominibus communicaturus; quæ igitur vices ejus supplet Ecclesia, universum christianismum teneat necesse est, atque sicuti nihil christiani extra Christum esse poterat, ita quoque nec extra Ecclesiam : *Qui non colligit mecum, dispergit*, aiebat Dominus; idem prædicat ac prædicare debet Ecclesia.

Qua autem ratione integram Christi revelationem gestet Ecclesia? visibiline an invisibili? Ex historia novimus quavis ætate christianismum se ipsum habuisse ut societatem externam, visibilem, cujus singula membra externo fidei ac communionis vinculo nectantur; cui præsint duces externa specie conspicui ac visibili itidem auctoritate præditi. At quod testatur historia præclare firmat et explicat ratio. Visibili atque externa forma indutus in terris visus est Christus; humanam naturam assumpsit, sicque hominum homo ipse magister et mediator esse voluit. Hinc Ecclesia externa quoque ac sensibus obvia esse debet (1).

Id porro postulabat hominis natura. Si puros spiritus edocere ac instaurare voluisset Dei Filius, necesse non fuisset ut speciem sensibus obviam indueret; sed quoniam sic homines dilexit ut eos redimere dignaretur, voluit etiam sensibili hominum naturæ morem gerere, via externa illos instituendo ac informando. Nisi igitur Ecclesia visibilis foret, nihil cum Christo similitudinis haberet, et hominum naturæ nulla ratione accommodata Christi scopum assequi non posset.

(1) Recte ait Mœhler : « La dernière raison de la visibilité de l'Église se trouve dans l'incarnation du Verbe divin. En effet, si le Fils du Très-Haut fût descendu dans le cœur de l'homme sans prendre la figure de l'esclave, sans paraître sous une forme corporelle, on conçoit qu'il eût fondé une Église invisible, purement intérieure. Mais le Verbe s'étant fait chair, parla à ses disciples un langage extérieur et sensible : pour regagner l'homme à Dieu, il voulut souffrir et agir comme l'homme... Sa doctrine devait continuer de prendre une forme visible; il fallait qu'elle fût confiée à des envoyés parlant et enseignant d'une manière ordinaire; l'homme enfin devait parler à l'homme pour lui apporter la parole de Dieu. » *La Symbolique*, etc., chap. V, § 36, tom. II, p. 4, éd. Bruxelles 1838.

Finge tibi Ecclesiam quæ in sensus non cadat, quam homines nec cernere nec audire sensibus queant, et recogita quo tandem pacto ea hominibus doctrinam magistri tradere possit eosque informatos regere ac moderari. Hæc tantis laborant repugnantiis ut vix aut ne vix quidem in mentem venire queant.

Et vero Ecclesiam invisibilem tueri nequeunt protestantes, nisi eo fanatismi deveniant ut dicant, quemlibet hominem nulla externa institutione egere, sed intus a Spiritu sancto doceri atque ab eo citra ullum subsidium externum omnem veritatem accipere; quod commentum aperte cum Christi incarnatione et hominis natura pugnat. Si, ut jam vidimus, Ecclesia est auctoritas hominibus instituendis accommodata, mihi non videtur ulterius inquirendum utrum visibilis sit necne; auctoritas quippe invisibilis ne mente quidem concipi potest. Quemadmodum ergo Christus visibili specie opus humani generis instaurandi incepit, illud simili ratione per Ecclesiam perficere dicendus est.

Non visibili tamen et humana forma tantum constabat Christus, sed et invisibili ac divina. Deus et homo erat; atque licet Deus et homo, non duo tamen, sed unus erat Christus; duplicem quippe in Christo naturam, divinam et humanam, una sustentabat divina persona. Ecclesia quoque, quamvis hominibus constat, nequaquam tamen mere humana haberi potest; idem quod in ejus auctore cernitur mysterium, divini ac humani admiranda consociatio, illud etiam, etsi non eadem, at affini tamen ratione in ea conspicitur. Invisibili ac divina qua pollet virtute Christus perpetuo in Ecclesia inest, et singula ejus membra interne informat eisque divinam vitam infundit. Hinc Apostolus Ecclesiam vocat corpus Christi, ut qui illi sit quod anima corpori.

Quam quidem sententiam præclare effert ac illustrat Origenes : « Nos autem, inquit, ut qui dogmata sibi apprime consentanea sequi et ex illis proficere voluerit, illum ad recipiendum quod dictum est adducamus, dicimus ex divinis Scripturis totam Dei Ecclesiam esse Christi corpus a Dei Filio animatum, membra autem illius corporis, ut totius, eos esse omnes qui credunt : quoniam sicut anima vitam et motum impertit corpori, quod a seipso natura moveri vitaliter non potest; ita Verbum totum corpus seu Ecclesiam ad ea quæ opus sunt movens et agens, etiam singula membra eorum qui ad Ecclesiam pertinent, movet, ita ut nihil sine Verbo faciant (1). »

(1) « ... Λεγομεν ὁτι σωμα Χριστου φασιν εἱναι οἱ θειοι λογοι, ὑπο του ὑιου του θεου ψυχουμενον, την πασαν του θεου ἐκκλησιαν· μελη δε τουτου του σωματος εἱναι ὡς ὁλου τουσδε τινας τους πιστευοντας· ἐπειπερ ὡσπερ ψυχη ζωοποιει και κινει το σωμα, οὐ πεφυκος ἀφ' ἑαυτου κινεισθαι ζωτικως· οὑτως ὁ λογος, κινων επι τα δεοντα, και ἐνεργων το ὁλον σωμα την ἐκκλησιαν, κινει και ἑκαστον μελος των απο της ἐκκλησιας, οὐδεν χωρις λογου πραττοντα. » *Contra Cels.* lib. VI, n. 48.

Vis igitur invisibilis ac divina, seu ipsius Christi Spiritus, externam hanc quæ sensibus patet christianorum societatem intus informat, movet ac dirigit; atque ii qui in ea auctoritate præstant, quorumque est populos instituere ac regere, non ut meri homines munia obeunt, sed, utpote ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei, divina virtute his funguntur officiis, nec aliud sunt quam ipsius Verbi externa instrumenta; atque hoc modo Ecelesia, etsi hominibus constat, neutiquam ut institutum humanum apparet, sed vere divinum (1). Hac demum ratione, quoniam externa simul et interna, visibilis et invisibilis, humana et divina est, Ecclesia quam simillime refert Christi auctoris imaginem, et perbelle respondet ipsius revelationis scopo æque ac hominis naturæ legibus.

Age vero reliquas Ecclesiæ notas illustrare studeamus. Porro Ecclesiam hanc divinam simul et humanam, *unam* et *catholicam* esse, nec unquam defectum passuram, facillimo negotio ostenditur : quin etiam ex hactenus constitutis omnes Ecclesiæ, quas catholici tuentur, notæ sponte fluunt, nec ulla amplius egere videntur oratione.

Quoniam tamen omnia christianismi capita tenebris obvolvere moliti sunt protestantes, non abs re erit paucis saltem attingere notas modo recensitas; quod cæterum Ecclesiæ indoli magis ac magis dilucidandæ non parum inserviet.

Ecclesia una est nec nisi una esse potest, et quisquis extra hanc unam Ecclesiam versatur, is a Christo itidem aberrat nec ullo jure christianus appellatur. Qui id inficiari velit, christianismum quoque et Christum repellat necesse est. Quid enim? Pluresne in terris adfuere Christi? Plures hominum mediatores ac salvatores? Plures christianæ revelationes? *Unus* profecto *Dominus*, *una fides*, *unum baptisma*, quemadmodum *unus Deus et pater omnium* (2). At si Christus unus est, ecquid ipsum scindere non dubitas? *Divisus est Christus* (3)? Ecclesia namque Christi vices supplet, ejusque germana est imago; nihil igitur medium habetur, nisi una tantum sit Ecclesia, neque unus erit Christus.

(1) Hæc optime pandit Mœhler : « L'Église, inquit, pour être composée d'hommes, n'est pas une institution purement humaine. Comme, en Jésus Christ, la divinité et l'humanité, bien que distinctes entre elles, n'en sont pas moins étroitement unies; de même, dans son Église, *le Sauveur est continué selon tout ce qu'il est :* l'Église, sa manifestation permanente, est divine et humaine tout à la fois ; elle est l'unité de ces deux attributs. C'est le Médiateur qui, caché sous des formes humaines, continue d'agir en elle; donc elle a nécessairement un côté divin et un côté humain. Unies par des liens intimes, ces deux natures, si ce mot peut nous être permis, se pénètrent l'une l'autre, et se communiquent respectivement leurs prérogatives. » *Symbol.* tom II, p. 5.

(2) *Ephes.* IV, 5, 6.

(3) I *Cor.* I, 13.

Porro Dominus Jesus, dum inter homines vitam mortalem ageret, totam sane christianam revelationem in se gerebat, quam cum Apostolis communicabat; nulla procul dubio aderat alia revelatio, proptereaque una tantum est christiana religio. Sed quid est Ecclesia nisi christianismus exterius proditus, carne et sanguine conspicuus, et rite constitutus ac *organizatus?* Si proinde una est christiana religio, qua ratione plures esse poterunt ecclesiæ? Si una in se conspicitur, cur unitatem amittat ubi exterius proditur?

Repugnat ergo unam esse christianam religionem, non autem Ecclesiam seu religionis organizationem; et si quis censet multiplicem esse posse Ecclesiam, dum unus est christianismus, idem est ac si diceret hunc simul unum et multiplicem esse.

Quicumque notiones supra traditas approbare non recusaverit, nec vero eas repellere fas est quin tollatur supernaturalis Christi revelatio, is quoque confiteatur oportet non nisi unam a Christo institui potuisse Ecclesiam : posita supernaturali Christi revelatione, summæ inscitiæ est arbitrari eum sivisse ut illa in plures veluti partes distraheretur, nec providisse ut integra semper consisteret, atque integra etiam citra additionem detractionemve ab illa quam condiderit auctoritate ab hominibus susciperetur. Itaque christiana religio divina agnosci nequit, quin agnoscatur Ecclesia, hæcque non nisi una intelligitur.

Quæ quum ita sint, conficitur eos omnes qui ab hac una Ecclesia alieni sunt, a christiana itidem religione et ab ipso Christo defecisse. Quod quidem sæpius apud Patres dictum offendimus. Recolantur in primis quæ nobis obvia fuere apud S. Ignatium, Tertullianum et Cyprianum: perpetuo docent adeo necesse esse cum Ecclesia, quam unam ubique prædicant, consentire ac conjungi, ut ex eorum doctrina a Deo et Christo plane discesserit qui illius non sit particeps. Hinc Tertullianus ait hæreticos non esse ad disceptandum de Scripturis admittendos, quod ipsi non sunt christiani, Scripturæ vero sunt christianorum. Inde creberrime tradit Cyprianus eum qui Ecclesiam non tenet, a Christi consortio, a Dei familia semotum esse, adeoque ut alienum, profanum et hostem habendum. Enimvero, contestantibus Patribus universis, id quod et nos quoque monstravimus, Ecclesia vices Christi gerit, Christus autem Dei Patris; et idcirco qui extra Ecclesiam versatur, is nec Christo nec Deo cohærere potest : « Habere jam non potest Deum patrem, aiebat Cyprianus, qui Ecclesiam non habet matrem. » Unus Deus, unus Christus, unus christianismus; una ergo divina familia, una christiana societas, una Ecclesia. Sponte igitur ac necessaria lege fluit illud catholicorum effatum : *extra Ecclesiam non est salus ;* hoc quippe sublato susdeque vertuntur notiones omnes, christianismus sensûs atque rationis expers efficitur, et secum ipse manifesto pugnat.

Ea autem Ecclesiæ unitas duplici modo scinditur, hæresi et schismate.

Hæresis directe fidei seu doctrinæ, schisma externæ communionis unitatem tollit : « Inter hæresim et schisma hoc interesse arbitramur, ait S. Hieronymus, quod *hæresis perversum dogma habeat, schisma vero propter episcopalem dissensionem* ab Ecclesia pariter separat (1). » Hæresis ergo definitur *error in fide pertinax;* quo nempe perverso et Ecclesiæ doctrinæ opposito dogmati quis pertinaci adhæret animo. Schisma vero est spontaneus ab externa Ecclesiæ communione recessus, quamvis schisma ferme esse nequeat quin simul brevi saltem adsit a germana Ecclesiæ fide aberratio.

Ex iis autem quæ supra disseruimus expeditum est hæresim æque ac schisma Christo Domino ac christianismi indoli ex adverso repugnare, proptereaque nec christianorum nomine ullo jure donari posse hæreticos schismaticosve; Christus enim dividi ac in varias partes distrahi nequit : qui vero quodpiam ejus revelationis caput respuit, aut externum, quem ipse condidit et porro intus movet ac moderatur, organismum aliqua ratione perturbat ac scindit, is Christum ipsum impetit ac veluti in frusta discerpere molitur. Itaque vel integer suscipiendus, vel totus rejiciendus est; at ne illum, judæis immanior, dilaniare ac lacerare tentes.

Nondum sane e mente exciderunt quæ de hæresi et schismate docuere Patres; memoria tenes quanto animi dolore, quanta dictorum acerbitate in hæc, ipsis judicibus, omnium pene teterrima scelera invehantur. Qui talia agunt, inquiebat S. Cyprianus, « etiamsi occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluitur... Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est... Ardeant licet flammis et ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest (2). »

Hinc etiam intelligitur cur quavis ætate nihil unquam veros Christi filios acerbiori cruciatu afficere consueverit quam sacræ illius unitatis abruptio : una Dei et Christi familia, unum Domini corpus, quæ ubi miserrimus quisquam disrumpere conatur, Dei opus insectatur, patrem familias excruciat et Dominica membra dissociat. Itaque summo studio hanc Ecclesiæ unitatem custodiamus; qui enim eam quomodocumque perturbat, Dei et Christi teterrimus constituitur inimicus, atque æternæ salutis particeps effici nequit.

Ea porro una Ecclesia est etiam *catholica* et omnium populorum dux ac magistra. Ecclesiæ catholicitatem non opus est multis ostendere: quum enim, fatentibus quibusque christianis, Christus non judæos modo aut quemdam terrarum angulum, sed mundum universum instau-

(1) *In Epist. ad Titum*, c. 3.
(1) *De unitate Ecclesiæ*, opp. p. 194.

raturus advenit, itidem necesse est non cujusdam peculiaris gentis sed omnium hominum esse quæ ipsius vices supplet opusque perficit Ecclesiam. Id ex superioribus plane consequitur, nec ab ullo in dubium vocari potest quin item inficiari non vereatur Christi revelationis indolem ac scopum, adeoque ad rationalismi castra transfugiat. Christiana religio ad omnes homines spectat, nec, ut Mosaica, unius regionis finibus continetur; Evangelium omni creaturæ prædicandum jubetur; Christus omnium hominum doctor ac instaurator agnoscitur. At unius Ecclesiæ est Evangelium prædicare; ipsa nihil aliud est quam christiana religio exterius prodita vivoque organismo donata; Christus per eam tantum docet, illuminat, roborat, regit atque instaurat; catholicam ergo eam confiteamur oportet. Unus omnium mediator Christus; una igitur omnium magistra ac mater Ecclesia.

Age vero an Ecclesia deficere aliquando potest et a vero aberrare? Fierine unquam potest ut ea intereat veraque hominum magistra esse desinat? An quemadmodum cujusque regionis, ita et cujuslibet ætatis est Ecclesia? Duo hic illustranda veniunt quæ, quoniam, mea certe sententia, disjungi nequeunt, simul constituere studebo.

Hæc autem sunt: nullo tempore Ecclesiam occasum iri, neque porro unquam falli posse .Quæ quidem perfacile ex hactenus disputatis concluduntur. Supra enim vidimus Christum in hunc mundum venisse, non ut viam futuræ cuiquam revelationi sterneret, id quippe Dei Filium dedecuisset; sed ut superiores perficeret absolveretque revelationes, eamque demum religionem institueret quæ ad finem usque mundi esset perseveratura. Id igitur præter alia bene multa summi discriminis interest judaicam inter et christianam religionem quod prior ad viam perfectiori parandam data fuerat, posterior vero, utpote omnibus numeris absoluta omniumque finis, terminus ac ultimum complementum, nulli alteri iter parat nec parare potest; Christus heri et hodie et in sæcula. Hinc eo tantum temporis spatio stare debebat judæorum synagoga, donec Christus adveniret; quoniam vero Domini locum nullus deinceps religionis conditor est excepturus, æternum maneat necesse est ejus Ecclesia. Ecclesiæ perpetuitas cum ipsius Christi ac religionis christianæ perpetuitate confunditur. Quamobrem ad finem usque sæculorum, instaurandorum populorum artifex et dux habebitur una illa et catholica Ecclesia.

Quam quidem ob causam hæc in eorum animo qui Christo vere inhærent alte insidet omnique ætate insedit persuasio, nihil ex quantiscumque rerum humanarum perturbationibus Ecclesiæ pertimescendum esse, fieri quippe non posse ut ea unquam e medio tollatur; hujus scilicet perpetuitatis probe semper sibi conscia est Ecclesia.

Cum hac porro Ecclesiæ perpetuitate, quam multi theologi *catholicitatem temporis* appellant, quamque ideo ad catholicitatis notam referunt,

arcte cohærere putamus ejus infallibilitatem; et propterea duo hæc sejungenda nobis non videntur. Enimvero quum de Ecclesiæ Christi perpetuitate sermonem instituimus, procul dubio notam hanc ita intelligimus, ut sit perpetuitas veritatis, seu ut semper existat germana Christi imago ac vicaria, certa et integerrima hominum magistra; proinde ut nullo unquam temporis momento a vero *deficere* possit; ipsi enim a veritate desciscere posse idem est ac *ab esse deficere;* et si quando in errorem prolaberetur, hoc ipso Christi Ecclesia esse desineret. Quapropter *indefectibilitas* Ecclesiæ unum idemque nobis videtur cum ipsius infallibilitate, eo saltem sensu ut illa stante hæc sponte consequatur. Bene tamen perpetuo ob oculos habendum est id quod jam pluries monuimus, nos in Ecclesiæ indole enucleanda non omnino *a priori,* et a factis quibus illa declaratur abstrahendo, ratiocinari, sed contra a factis proficisci et Ecclesiam sumere prout ea reapse a Christo instituta cernitur, illud autem argumentis a ratione ductis confirmare et explicare. Quæ si mente teneantur, mutua illa indefectibilitatis et infallibilitatis Ecclesiæ necessitudo manifesta cuiquam apparebit.

At vero quædam speciatim notanda veniunt circa infallibilitatem. Omni ævo persuasum habuit Ecclesia fieri non posse ut a vero Christi revelationis intellectu ipsa aberraret, propterea que erroris *a priori* arguendos eos omnes qui ipsi non consentirent; hinc, ut vidimus, Patres *sine retractatu doctrinæ* hæreticos refellunt damnantque, quod alienas ab Ecclesia sententias foveant. Et vero quoniam Ecclesia Christi vices supplet ipsiusque veluti organum habetur, Christi infallibilitatem ab ipso mutuetur necesse est. Quoniam, ut præclare aiebat S. Irenæus, Ecclesia est os Christi, fieri nequit ut quidquam falsi aut minus recti ab ea tradatur; si quis error ex ea manaret, ad Christum redundaret. Supra diximus quî divina simul et humana sit Ecclesia; ideo autem falli nequit quia divina est. Homines per se errori obnoxii sunt; sed quoniam homines quibus constat Ecclesia nequaquam ut meri homines docent ac loquuntur, verum ut ipsius Verbi incarnati organum atque os, ideo cujusque erroris plane expertes apparent (1).

Porro si dogma illud infallibilitatis *a priori* spectetur, multa ejus necessitatem suadere videntur. Quid igitur? Quoniam id erat Christo propositum, ut ea quam hominibus attulerat religio in perpetuum maneret, illis traderetur eosdemque sic instauraret, condere debuit institutum

(1) Hanc infallibilitatis Ecclesiæ rationem optime exponit Mœhler : « Sans doute, inquit, c'est le divin, c'est l'Esprit du Christ qui est infaillible, qui est la vérité éternelle; mais l'homme est aussi infaillible, l'homme aussi est vérité; car ici le divin n'existe point pour nous sans l'humain. Toutefois l'homme n'est pas infaillible par lui-même; il l'est seulement comme organe, comme moyen de manifestation de la vérité. » *Symbol.* Ch. V, § 36, tom. II, p. 5.

quo et pura et integra servaretur atque citra ullum admixtum errorem cum hominibus communicaretur; nisi illud præstitisset, non, ut ante vidimus, pro ea qua pollebat divina sapientia egisse videretur. Quod si hoc, sponte consequitur eam esse debuisse istius instituti naturam ac vim, ut nullo temporis momento a germano revelationis christianæ sensu deficeret; alioqui non amplius pura et integra consisteret religio, sed illius decreta adulterari atque ita decidere possent; quo posito, eodem pene res recideret ac si nullam auctoritatem Christus instituisset; quorsum enim auctoritas quæ finem sibi præstitutum assequi nequeat? Itaque si errori obnoxia foret Ecclesia, Christus non satis consuluisset suæ revelationi.

Porro quo melius hujus argumenti vis intelligatur, probe etiam animadvertendum maxime disparem esse Ecclesiæ et synagogæ conditionem, nec fas esse ex hac ad illam quidquam inferre. Nam præter synagogam providerat Deus ut interdum prophetæ mitterentur qui divina auctoritate præditi Messiam annuntiantes præcipua quoque religionis capita judaicæ gentis animo magis inculcarent, eam ab erroribus, si qui oborti fuissent, revocarent atque ita divina mandata firmarent. Post Christum autem nihil ejusmodi conspicitur; penes solam Ecclesiam est munus religionem custodiendi eamque populos edocendi. Quamvis ergo synagoga ipsa infallibilis non haberetur, non defuissent tamen media quibus, disponente Deo, integra servaretur religio; hodie vero apud christianos, nutante Ecclesia, nulla alia suppeteret via. Quocirca omnino postulat pura ac integra christianismi conservatio ut Ecclesia sit infallibilis.

Est et alia causa quæ illam Ecclesiæ dotem peculiari modo commendet. Christi revelatio omnium revelationum cyclum claudit unaque omnium perfectissima est; at si omnibus suis partibus et numeris expleta est revelatio, cur non item ex toto absolutam formam indueret sibique auctoritatem omni ex parte perfectam sufficeret? Ecclesia igitur, nisi infallibilis esset, christianæ religionis perfectioni non responderet.

Aliæ porro rationes eidem dogmati confirmando maxime idoneæ duci possunt ex ipsa Christi incarnatione. Neque enim incarnatur Dei Verbum ut peracto mortalis vitæ curriculo mox abeat opusque relinquat; verum decet ut inceptum plane perficiat ipsumque inter homines in perpetuum versari pergat; quod præstat quidem, ut supra copiosius disseruimus, institutum condendo quod ipsius organum fiat quodque idcirco ipsius infallibilitatis particeps efficiatur. Hæc autem ex superius constitutis facile est colligere, adeoque in iis illustrandis non opus est diutius immorari.

Sed ea de illis præcipuis Ecclesiæ dotibus attigisse satis sit. Antea tamen quam ad alia progrediamur, operæ forsitan pretium fuerit pauca adjicere circa quatuor quas vocant Ecclesiæ notas.

Notæ illæ sunt quas expressit Concilium Constantinopolitanum in

symbolo fidei dicens : Credo *unam*, *sanctam*, *catholicam* et *apostolicam* Ecclesiam. Porro occurrunt theologi bene multi qui Ecclesiæ demonstrationem in his omnino quatuor notis enucleandis ponant, hac ratione ut earum indole indagata ac declarata tandem comprobent illas in sola Romana Ecclesia reperiri. Ut autem ea disputandi methodus accurata sit, probe tenendum est necesse esse ut notæ istæ non in abstracto spectentur et velut a suo principio, quæ est auctoritas a Christo instituta, sejunctæ; tunc enim nihil ipsis virium inesset; verum oportet ut prius agnoscatur institutum a Christo conditum esse, cujus eæ notæ sint et ex quo veluti e proprio fonte manent. Illud recte perspexit ac adnotavit Cl. P. Perrone ubi ait : « Observamus talem esse naturam ac indolem harum notarum, ut necessario nexu adhærescant suo principio ex quo profluunt. Hinc ut unitas esse possit, non solum debet esse plena et formalis, sed debet præterea secum necessario præ se ferre principium ex quo hæc ipsa unitas constituitur; nempe non sufficit ut habeatur eadem fidei professio, idem sacramentorum usus, communicatio mutua membrorum; sed requiritur insuper principium auctoritatis ex qua sola in omnibus eadem fidei professio oritur; principium, inquam, divinitus institutum, visibile efficaxque, quod in Ecclesiam universam influat, illamque regat ac moderetur, ut exurgat vera ac intima connexio inter caput et membra, inter membra singula ad invicem, ac demum inter animam et corpus. Id quod et de ceteris notis suo modo intelligi debet, prout in nota sanctitatis manifestum est, quæ absque gratia sanctificante et charitate, ex qua gignitur, consistere non potest, atque item de notis catholicitatis et apostolicitatis, quæ concipi nequeunt absque unitate a qua dependent (1). »

Itaque si in se solummodo spectarentur quatuor illæ notæ, germanis demonstrationis catholicæ principiis minime accommodata foret disputatio, ac propterea nihil pene firmitatis inde erui posset. Porro ubi semel comprobatum est a Christo institutam fuisse Ecclesiam, quæ ipsius vices in terris in perpetuum suppleat iisdemque quibus ipse (sensu supra definito) dotibus polleat, plane revictus est protestantismus et demonstrata quoque Romanæ Ecclesiæ veritas; nec vero opus est de quatuor notis speciatim disserere, quæ ceterum tum sponte sequuntur. Illa nempe sola agnoscenda est vera Domini Ecclesia quæ inde a Christo et ab Apostolis non interrupta episcoporum successione eadem semper permansit. Verum quoniam hæc ad institutum nostrum minus attinent, ut qui auctoritatis tantum methodum adversus protestantes defendendam suscepimus atque christianismi organismum definire constituimus, ea jam mittere liceat. Alia igitur in medium vocemus.

(1) *Prælectiones theologicæ*. ed. Lovan. tom. VIII, p. 88; *De locis theol.* part. I, c. III.

§ 2.

AUCTORITATIS A CHRISTO CONDITÆ ORGANISMUS DECLARATUR.

Hactenus generalem auctoritatis a Christo institutæ naturam ac indolem indagavimus hancque firmare ac illustrare studuimus. At auctoritas illa quidpiam *abstracti* non est, sed quoniam penes homines habetur, vivo sibique proprio organismo prædita cernitur quo intercedente munia sibi a Domino concredita obeat. Is ergo organismus nunc paucis declarandus venit.

In parte historica vidimus Christum elegisse Apostolos qui divina auctoritate instructi, vice Domini, populos instituerent ac instaurarent, et porro sibi ipsi probatos viros sufficerent quibus idem incumberet divinum munus, quique simili ratione homines ad veritatem adducerent adductosque regerent ac moderarentur. Inde autem orta christiana hierarchia, quæ nihil aliud est quam auctoritas exterius prodita et *organizata :* ad hanc sæpius appellavere Patres præsertim apostolici, qui Ecclesiæ auctoritatem non *in abstracto*, sed *in concreto*, hoc est, prout in episcopis conspicitur, spectare ac tueri consueverant.

Supervacaneum videtur peculiaribus argumentis hierarchiæ ecclesiasticæ rationem ac necessitatem constituere; quo enim jure stat Christi Ecclesia, eodem consistit hierarchia; divina quippe Ecclesiæ auctoritas sine divino quoque ordine nulla concipitur. Hinc ipsi protestantes, quemadmodum, repugnante ipsorum principio, quamdam in praxi auctoritatem agnoverunt, ita et hierarchiam aliquam, adulteratam licet ac mutilam, servaverunt aut servare conati sunt. Illius necessitatem asseverat atque commonstrat Hugo Grotius in hunc modum : « Ordo sive in partibus sive in toto continetur principatu quodam, sive præpositi unitate... Hic ordo semper in Ecclesia manere debet, quia semper manet causa, id est periculum schismatis (1). » Alibi pariter ait : « Sicut exercitus, sicut navis regi non potest nisi per gradus præfectorum, *qui gradus in unum desinant*, ita nec Ecclesia. Etiamsi omnes, qui sunt in Ecclesia, essent dilectione summa præditi, tamen tali ordine esset opus. Deus non amat facere semper miracula, sed ad res optimas etiam optimas monstrat vias, qualis est ad unitatem Ecclesiæ certus ordo (2). »

Quis igitur autoritatis Ecclesiæ organismus? quæ hierarchia? Quum hoc loco tantum loquamur de hierarchia quatenus in ea et per eam *concreta* efficitur auctoritas a Christo instituta, dicendum est illam episcopis

(1) *Votum pro pace*, ad. art. VII.
(2) *Animadv. in animadv. Rivet.* ad. Árt. VII.

constare cum Petri successore conjunctis. Quoniam nempe Petrus Ecclesiæ fundamentum a Domino constitutus est, Romano Pontifici, qui eidem successit, adhæreant necesse est reliqui episcopi; secus disturbaretur et corrueret divinum Christi ædificium. Hinc ait Concilium Florentinum : « Item definimus sanctam apostolicam sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium christianorum patrem et doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur (1). »

Quemadmodum Apostoli in erudiendis ac instaurandis populis vices Christi gerebant, ita et episcopi. Doctores ac duces hominum sunt, atque in eis formam externam ac humanam induit auctoritas illa quam visibilem, unam, catholicam, indefectibilem infallibilemque supra monstravimus. Per orbem universum dispersi, *in universam* enim *terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum* (2), in unum tamen corpus coalescunt atque externo communionis vinculo colligantur; et hac ratione manisfesta cernitur unitas illa de qua sermonem ante instituimus.

Quamobrem qui isti episcoporum corpori non inhæret, qui ab his avulsus est, is a vera Ecclesia aberrat, adeoque a Christo alienus est nec Deum patrem habet, ut aiebat S. Cyprianus. Hinc S. Ignatius, qui perpetuo Ecclesiæ auctoritatem in concreto respicit, creberrime prædicat omnibus cum episcopo consentiendum esse nisi velint ab ipso Deo et Christo deficere : « Quotquot, inquit, Dei et Jesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo (3). — Manifestum est quod episcopum respicere oporteat ut ipsum Dominum (4). — Studeamus episcopo non resistere, ut simus subjecti Deo (5). — Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia... qui honorat episcopum, a Deo honoratus est. Qui clam episcopo aliquid agit, diabolo præstat obsequium (6). » — Una igitur conspicitur Ecclesia, quod unum est episcoporum corpus per universum orbem diffusum.

Porro episcoporum est Christi, cujus vices supplent, revelationem

(1) Hard. *Acta concil.* tom. IX, p. 423.
(2) *Ps.* 18.
(3) *Epist. ad Philadelph.* c. 2.
(4) *Epist. ad Ephes.* c. 6.
(5) *Ibid.* c. 5.
(6) *Epist. ad Smyrn.* c. 9.

puram ac integram custodire eamdemque sic populis tradendam curare. In eis ergo *concreta* itidem apparet Ecclesiæ infallibilitas quam superius approbavimus : ipsi sunt organum atque os Christi, nec unquam aliud præter veram ejus doctrinam eloqui possunt. Fieri nequit ut corpus episcoporum a vero ulla ratione deflectat; secus enim tolleretur Ecclesiæ infallibilitas. Quapropter penes episcopos est integra ac illibata Christi revelatio; penes eos habetur verus revelationis intellectus, et ubi cum episcopis sentis, cum ipso Domino sentis. Hinc fit ut, si quando controversia de quodam religionis capite oborta fuerit, sique pro rei ac temporum opportunitate satius visum fuerit concilium quo illa dirimatur cogere, congregentur episcopi iique soli judicium ex auctoritate ferant. Quoniam nempe religionis sunt custodes, exorto errore, conveniunt ac testantur quæ sit sua ipsorum fides adeoque vera Christi doctrina; hæc quippe ab illa minime discrepat. Hanc autem conciliorum indolem ante ex historia commonstravimus.

Verum id probe tenendum quod jam modo subindicavimus, episcopos Domini imaginem eatenus tantum referre adeoque infallibilitate præditos esse, quatenus vivum ac integrum corpus efficiunt Petrique successori adhærent. Enimvero quemadmodum humanum corpus, dempto capite, vivum consistere nequit, sed exsangue jacet cadaver; ita episcopi, si a Romano Pontifice, qui in Petri locum suffectus est, avulsi forent, nihil amplius vitæ aut virium haberent; et porro sicut membrum a corpore præcisum arescit, sic et episcopus, si ab integro episcoporum corpore fuerit sejunctus, minime vivi doctoris ac magistri vivam speciem exhibet, sed virtus ejus plane extinguitur. Itaque tum solum Christi vices gerit episcopus quum, utpote membrum, corpori ejus intime conjunctus permanet, corpus vero nullum est sine capite Romano Pontifice. En plenus ac integer Ecclesiæ Christi organismus, quem qui perturbare tentaverit, Christi inimicus constituitur.

Nostri instituti non est probare Petro ejusque successoribus, qui Romani sunt Pontifices, verum ac proprie dictum auctoritatis ac jurisdictionis primatum a Christo reapse collatum fuisse, eumque in dubium vocari non posse quin tota tollatur divina institutio. Quum enim cum protestantibus nobis res sit, sublato principio quo volunt privato cujusque examine, non vero auctoritate omnia in religione esse peragenda, corruat protestantismus necesse est; atque ideo in parte historica tantum auctoritatis *factum* statuere studuimus, quo approbato, ubi deinceps de ejusdem organizatione explicanda sermo est, nihil jam habent quod opponant adversarii et a disputatione prorsus exclusi sunt. Quocirca id tantum hoc loco nobis præstandum relinquitur, ut, quo melius auctoritatis *comprobatæ* vis ac ratio percipiantur, præcipua ejus organismi capita breviter attingamus.

Porro postulat christianismi organismus ut Petri successori insit pri-

matus. Nisi enim inter episcopos aliquis agnosceretur cæteris omnibus dignitate atque auctoritate præstans, tolleretur Ecclesiæ unitas, nec jam totum quoddam perfectum, sed innumeras prope partes a se invicem disjunctas referret christianorum societas (1). Quin etiam in omni societate dux aliquis aut rex adsit oportet, neque alias ulla vel animo concipi potest societas; cur ergo Christus unam omnium perfectissimam condens societatem, ducem eidem non præfecisset? Dubio procul nisi id præstitisset, minus Ecclesiæ suæ æternum perseverandæ consuluisse foret dicendus. Et vero ea primatus necessitas usque adeo manifesta apparet, omnibusque tum christianismi tum cujusquam societatis indoli ac legibus consentanea est, ut qui verum, a Domino constitutum, primatum agnoscere recusant, falsum aut etiam absonum atque a religionis natura omnino abhorrentem adsciscere ac in ejus locum sufficere sæpius cogantur; quod quidem frequenter apud protestantes accidisse cernimus. Quamobrem ne quidquam de divina institutione detrahatur, neque in perniciem ruat præclarum Domini opus, Romani Pontificis primatum necesse est confiteri. Episcopi certe omnes vicariam a Christo auctoritatem tenent ac integerrimi revelationis custodes doctoresque habentur; sed inter ipsos unus eminet Petri successor qui peculiari ratione Christi vicarius nominatur et est, cuique reliqui firme inhærere debent nisi vicariam illam potestatem amittere velint.

Quæri hic posset an, quemadmodum integrum episcoporum corpus infallibilitatis dono conspicuum agnoscitur, sic et Romanus Pontifex eadem hac dote præditus sit, ita ut a vero errare nequeat quum tamquam supremus Ecclesiæ primas quidpiam Christi revelationis caput definit? Dogma certe catholicum nullum est quo Romani Pontificis infallibilitas decernatur, adeoque ex quorundam theologorum judicio integer stat sine illa germanus christianæ revelationis organismus; communis tamen sententia habet eam dotem ipsi revera adjudicandam esse. Et sane tum varia Scripturæ loca, tum quam plurima Patrum testimonia atque Ecclesiæ praxis, tum etiam natura ac perfectio organismi chris-

(1) « Otez le pasteur suprême, inquit Mœhler, le pontife vénéré de tous, et de ce moment l'harmonie disparaît, l'ordre est renversé, l'Église dispersée au milieu du monde; ses membres sont isolés, relégués à eux-mêmes. Si un lien puissant n'eût entouré tout le corps, si le successeur de Pierre n'eût affermi tout dans l'unité, vous auriez vu la société des fidèles divisée, morcelée en une foule de corporations particulières. Et qui ne comprend qu'aussitôt l'autorité de l'Église s'écroule de fond en comble? Car bientôt divergentes de sentiments, d'intérêts et de passions, les communautés ne formeront plus un témoignage unanime, mais déposeront les unes contre les autres. Quel chrétien pourrait encore reconnaître dans cette société un établissement surnaturel, destiné à continuer Jésus-Christ? Ainsi donc point d'Église visible sans un chef extérieur. » *Symbol.* ch. V, § 43, tom. II, p. 54-55.

tiani postremam hanc sententiam approbare ac plane demonstrare nobis videntur. Verum hæc ad hunc tractatum non spectant.

Quoniam auctoritatis Ecclesiæ organismum paucis jam, ut res ferebat, attigimus, in promptu nunc est quî auctoritas illa visibilis atque omnibus conspicua appareat, quîque itidem manifestæ et concretæ efficiantur quæ ipsi a Christo traditæ sunt dotes; liquet proinde qua ratione munia sibi concredita obire ac plene exequi possit. Videndum restat quî demum his pollens dotibus Ecclesia opus a Christo inceptum reapse prosequatur ac perficiat, homines docendo, informando ac regendo.

CAPUT III.

DE RATIONE QUA AUCTORITAS A CHRISTO INSTITUTA, SEU ECCLESIA CATHOLICA, CUM HOMINIBUS REVELATIONEM CHRISTIANAM COMMUNICAT EOSDEMQUE INFORMAT, INSTAURAT AC MODERATUR.

Hactenus ergo auctoritatem, quam Christus Dominus, christianismi conditor, jam jam e terris migraturus in suî locum suffecit, in se spectavimus; verum divina illa, quam agnovimus, auctoritas nequaquam otiosa ac motu vacans permanet, sed illius instar a quo ortum vitamque trahit semper operatur. Ecclesiæ scilicet est, ut diximus, persequi ac absolvere præclarum eum ac misericordiæ plenum, quem sibi in hunc mundum adveniens æternus Dei Filius præstituit, finem; ejus est hominum genus ad pristinam e qua per peccatum decidit dignitatem erigere ac plane instaurare.

Inspiciendum igitur est quo pacto divinum hunc finem, intus semper movente Domino, assequatur Ecclesia; quî Christi revelationem hominibus impertiat eosque per illam informatos regat ac moderetur, prohibens porro ne aliquis error subrepat quo ipsi aliquando a recto tramite deflectant. Quoniam autem duplici ratione res considerari potest; vel enim Ecclesia potissimum tamquam benigna mater conspicitur quæ filios gignat, enutriat eosdemque pacatos ac quietos moderetur; vel casus ponitur quo gravior quædam oboriatur controversia filiorum fidei ac vitæ perturbandis lædendisve apta, et tunc Ecclesia motam quæstionem judicat ac dirimit, decernens quæ vera, quæ falsa sit doctrina. Quoniam igitur duplex veluti Ecclesiæ status distingui potest, alter placidæ institutionis, controversiæ transigendæ alter, in duplex quoque membrum præsens caput tribuimus; ita ut primo illum Ecclesiæ statum, deinde vero hunc simus consideraturi.

§ 1.

DE ECCLESIA POPULOS INFORMANTE AC REGENTE.

Non unam alteramve hominis lapsi partem aut facultatem restiturus advenit qui ipsum in perfecta integritate prius condiderat æterni Patris Filius, sed totum hominem sanaturus atque instauraturus in terris apparuit. Quocirca ut integrum curaret animum, quo quidem renovato corpus etiam novam in resurrectione indueret formam, non veritatem modo, sed et gratiam attulit, quibus intellectum simul et voluntatem reficeret: plenus denique accessit gratiæ et veritatis. Quæ igitur Christi vices supplet Ecclesia, veritatem pariter et gratiam hominibus largiatur necesse est, ne manca ac mutila efficiatur ipsi concredita religio : duo hæc nusquam sejunguntur, sed æque ab Ecclesia præstantur.

Quum ergo infans in lucem editus est, vel si ætatis quidem provectioris homo existat, at divinæ Christi religionis ignoratione laborans, mox hunc illumve benigne excipit pia mater Ecclesia, providetque ut purum christianæ doctrinæ lac ipsi propinetur. Mentis humanæ lex ea est, quod supra vidimus, ut homo edoceatur nec nisi aliis instituentibus evolvi queat; atque primis infantis incunabulis invigilat Ecclesia, curatque ut ii qui jam veritatis notitia fruuntur, et quibus peculiare docendi munus mandavit, alios erudiant, veras ac rectas notiones junioribus animis instillantes. Hac ratione ad naturæ normam mens instituitur, nec porro verendum est ne perverse evolvatur; quoniam enim infallibilitatis dote prædita est Ecclesia, nihil præter veritatem tradit, prohibet autem ne error sub veri specie subrepat ac nascentes animos occupet corrumpatque et ita a rectæ evolutionis tramite avertat. Pubescentes vero animos nequaquam dimittit sollicita mater, sed erudire pergit atque haud intermissis curis doctrinam a Christo acceptam illos docet, atque ita tandem plenum ac pro cujusque ingenio expeditum *sensum christianum* in homine informat.

Ubi eo pervenit homo, intus semper adjuvante divina gratia, Christi dogmata jam altas in eo egerunt radices, atque fide firmatus intellectus, illis plane imbutus ac refertus conspicitur: verus ac germanus Christi filius factus est, nec amplius ulla ratione necesse est ut religionis decreta ex alio fonte haurire atque excipere contendat; nihil ipsi deest, integram illibatamque doctrinam ex ipsius tenerrimæ matris, quæ falli nequeat, ore securus accepit.

En quo demum pacto Ecclesia, seu Christus ipse per Ecclesiam operari pergens, secundum humanæ naturæ leges, hominem a teneris materno complexus amore suscipit, erudit, instituit paulatimque christianum intellectum ac sensum in ipso efficit. Quæ quum ita sint, liquet

quam optimo jure aiebat S. Irenæus veritatem omnem ac vitam penes hanc externam Christi Ecclesiam esse ac perpetuo manere, adeoque ab ea plene accipi, et idcirco cuique necesse non esse ut illam vel apud alios quærat vel etiam Scripturas legat : quid enim opus est illi Scripturas versare atque ex his Domini instituta repetere, qui jam integram tenet Christi revelationem? Quamvis igitur, ut inquit idem eximius Pater, nullas Apostoli Scripturas nobis reliquissent, nihil tamen christiani dogmatis ac spiritualis vitæ nobis defuisset.

At vero ubi christianum eum quem modo dicebamus sensum ex Ecclesiæ institutione assecutus est homo, quæ in Scripturis habentur haud difficulter percipit; et porro si quæ forte illi objiciantur falsa atque a Christi revelatione prorsus aliena dogmata, mox exhorrescit ac vesani ingenii commenta tamquam intimis animi ac conscientiæ sensis repugnantia protinus respuit. Quod quidem postremum præclare attigit Irenæus de illis locutus qui Scripturis non utebantur : « Hanc fidem, ait, qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum, barbari sunt, quantum ad sententiam et consuetudinem et conversationem, propter fidem perquam sapientissimi sunt, et placent Deo, conversantes in omni justitia et castitate et sapientia. Quibus si aliquis annuntiaverit ea quæ ab hæreticis adinventa sunt, proprio sermone eorum colloquens, *statim concludentes aures*, *longius fugient*, *ne audire quidem sustinentes blasphemum alloquium* (1). » Enimvero quum aliquis probe institutus est ac firmissimas in christianismo radices egit, Christi decreta ipsa mens ejus ac vita evaserunt, quæ simul ac impugnes, ipsius vitam impetis perturbasque.

Atque ut sensum illum plane christianum in homine efficiat, non rectam modo doctrinam, sed et gratiam impertit Ecclesia. Neque enim philosophiæ systema est Christi revelatio quod ad solum spectet intellectum; verum, ut diximus, integrum erigere debet hominem. Quamobrem jam certe dum Ecclesia externis vocibus homines edocet, Christi Spiritus interius mentem illuminat ac voluntatem inflectit ut propositæ doctrinæ firmam adhibeat fidem. At præter illud divinum auxilium

(1) *Adversus hæres.* lib. III, c. 3. — Hæc autem, quod ad Scripturarum intellectum attinet, recte notat Mœhler : « Le principe communiqué d'en haut, l'alliance avec l'apostolat perpétuel, l'éducation et la vie dans l'Église développent un sens profondément intérieur, un sentiment propre à la perception de la parole écrite; car il répond à l'Esprit qui a dicté les Livres saints. Lorsque le fidèle lit les Écritures avec cette disposition, les vérités qu'elles renferment passent dans son intelligence sans aucune altération essentielle; il y a plus, quand son esprit et son cœur ont été formés dans l'Église, il n'a plus aucun besoin de l'Écriture pour en saisir les divins enseignements. » *Symbol.* ch. V, § 38, tom. II, p. 23.

aliaque id genus multa quæ Deus haud satis celebranda misericordia homini largiri consuevit, in Ecclesia occurrunt externi, prout postulabat corporea hominis natura, atque uberrimi gratiarum fontes. Plurima nempe Dominus instituit sacramenta, quibus imbecilliorem discipulorum voluntatem in primis roboraret eosque in virtutibus persequendis expeditos et alacres efficeret; quæ quoniam, ut reliqua religionis capita, in Ecclesia sunt, illa una cum doctrina pro ea qua pollet sapientia filiis impertit : quo fit ut tandem ipsa finem sibi a Christo constitutum consequatur hominesque vere instauret, qui, ut loquuntur Scripturæ, novæ efficiuntur creaturæ.

Porro homines illi hac ratione renovati nequaquam alii ab aliis sejuncti ac separati exstant, sed unum corpus sunt cujus partes singulæ optime cohærent. Hinc in mundo oritur peculiaris quædam societas a civili in qua versatur plane diversa, quæ veluti divina in terris civitas haberi potest. Auctoritatis autem qua ea civitas informatur ac regitur organismum supra declaravimus. Atque quum omnis societas suis regatur legibus, suas ergo habeat quoque necesse est divina civitas, quibus omnia rite et ordine disponantur, uniuscujusque jura et officia definiantur, ac suus cuique locus tribuatur. Atque ita demum plene exterius proditur sacrum illud institutum quod a Christo conditum vidimus ; ita divina revelatio, quod hominibus traditur, externam induens formam, perfectam atque numeris omnibus expletam gignit societatem quæ divina simul et humana appareat, quæque penitus divinæ ac cœlestis illius societatis, in cujus civium numero deinde sumus censendi, adumbratio pariter ac vestibulum existat.

Quod si nunc cum hac catholica institutionis methodo atque præclaro isto christianæ religionis ædificio protestantismum contuleris, quam rudis, informis et ab omni religionis æque ac societatis indole abhorrens is exhibeatur! Quid enim? Dum catholica Ecclesia perbelle obsecuta naturæ legibus hominem ab incunabulo excipit, instituit et porro docere ac regere pergit, quæ via protestantismo ineunda foret si sibi plane constaret? In memoriam paulisper revoces quæ de eo quo fundamenti instar nititur principio superius tradidimus : in hoc autem situm esse vidimus exitiale istud principium, ut statuat nullam auctoritatem a Christo conditam atque adeo neminem sibi munus arrogare posse alios in vera Christi doctrina instituendi, sed quemque sibi permittendum, ut, interpositis Scripturis, quæ religionis sunt ipse inquirat ac reperta judicet. Stante igitur hac lege, prorsus tollitur in religionis negotio institutionis atque auctoritatis ratio. Hinc si secum pugnare noluerit protestantismus, an forte juniorem hominis animum benigne suscepturus est eumdemque religionis christianæ decreta edocturus? Minime vero : id vetat suprema individualismi lex, quam nisi ex toto servaveris, a protestantismi finibus recessisti. Homo ergo iste qui præ ætate imbecilliore hactenus mente cernitur, sibi relin-

quatur; postea vero in manibus ejus Scripturas collocabis ut suo unius studio ex hoc nitidissimo fonte germana hauriat dogmata! At gradum sistas jam, quæso; sufficit. — Hominem igitur, donec idoneus fuerit Scripturis pervolvendis, omnis christiani dogmatis expertem manere cogis! Sensum ac intellectum christianum in eo efficere non curas! Mira certe Christi ac humanæ naturæ legum perturbatio!

Equidem novi nunquam eo absurditatis processisse pseudo-reformationis filios ut illud in usum adducerent : prohibebat quovis systemate validior natura, et protestantes non secus ac catholici religionis christianæ decreta rudes ac infantes docent, hoc sane discrimine, quod illis tuta ac firma desit auctoritas adeoque imbecillior sit eorum institutio. Verum ubi de judicando quodam systemate principiove agitur, illud in se spectandum est atque hoc pacto verum aut falsum definiendum : non ergo quæritur quid ejus fautores reapse fecerint, sed quid facere debuerint ut sibi constarent. Quocirca id unum ex protestantium agendi ratione confici mihi videtur, eam quam venditant methodum adeo naturæ legibus repugnare, ut illam in usum adducere non potuerint.

Stat igitur quod modo aiebam, id postulare individualismi protestantici principium, ut homo non doceatur christiana dogmata, donec Scripturas ipse legere queat atque ita sine ulla *præjudicata opinione* interpretari. Imo vero longius procedere fas est atque asseverare protestantismo, si veram ac germanam habet suam methodum, quamlibet externam institutionem in religionis negotio universe respuendam esse aut saltem flocci faciendam; et idcirco germanum ac necessarium istius methodi fœtum arbitror celeberrimum eum Russavii librum, in quo miserrimus sophista, ingeniosus licet, statuere non veretur infantibus nullum de Deo rebusque divinis sermonem faciendum! Quod profecto et naturæ leges funditus evertit et silvarum, quarum interdum desiderio flagrare videbatur ille, feracitatem belle redolet. Atque his perspectis, quid protestanticam inter et catholicam methodum intersit discriminis, quidque hæc illi præstet, lector ipse sententiam ferat.

Age vero inceptam utriusque collationem ulterius persequamur. Quid igitur? Quos genuit filios beata mater Ecclesia catholica non dimittit, fortunæ quasi permittens; sed quibus peperit, iisdem maternis visceribus hos complecti pergit. Eos utpote suos atque novas deinceps creaturas suis ac itidem novis regit moderaturque legibus; præclara eaque divina simul et humana oritur societas cui suus inest organismus proprius, atque hac ratione supernaturalis Christi revelatio, quæ, ut postulabat hominum conditio, exterius prodierat, verum condidisse cernitur institutum ac societatem in qua ipsa corporea pariter et incorporea permaneat æternumque vivat ac operetur.

At si pseudo-reformationis methodum e regione posueris, quanta rerum immutatio! Nulla amplius conspicitur christianorum societas, nullum

institutum, nulla hominum Christo adhærescentium germana congregatio; ubique singulares singularem atque quovis societatis vinculo liberam agentes vitam occurrunt homines; ubique quisque sibi magister et dux habetur; ubique plane dominatur individualismus. Itaque stante protestantium principio, corruat necesse est ædificium christianum, et summæ repugnantiæ est quamlibet societatem quopiam pacto tueri velle; quo fit ut pulcherrima illa christianismi indoles, quam *socialismi* nomine recte appellat Cl. Von Drey (1), prorsus de medio tollatur, ipsi autem, quam maxima injuria inscitiaque, supponatur rudis iste ac insulsus individualismus omnibus naturæ ac societatis legibus repugnans.

Neque vero, ut hanc probrosam notam effugiant, in suî præsidium advocent Ecclesiæ seu christianæ societatis cujusdam invisibilis speciem. Ingeniosum sane inventum dignumque quod sempiternæ commendetur memoriæ! Quid, quæso, rei est societas *hominum* invisibilis quæ a visibili veluti a suo principio non sumat exordium eidemque porro non innitatur? Equidem nisi caro et sanguis nobis essent, assequi forte possem quid sit inter homines societas invisibilis; verum quamdiu mihi ratum fixumque habebitur non anima tantum sed et corpore hominem constare, ingenue confiteor me nihil rei invisibili isti, quam jactitas, ecclesiæ societative affingere posse, eamque interea temporis arbitrabor merum commentum hominum semet non intelligentium. Ejusmodi ecclesiam invisibilem irrident etiam nobiscum quam plurimi protestantes theologi (2).

Quæ quum ita sint, mecum fatearis oportet pseudo-reformationis principium ne cum idea quidem christianæ Ecclesiæ seu societatis componi ullo pacto posse. Et vero si methodus quam in religione tenendam existimas ad cætera omnia accommodaretur, mox omnium societatum humanarum vincula solverentur orbisque universus brevi in perniciem rueret. Quis tamen dixerit auctoritatis principium necessarium esse in iis quæ minoris momenti sunt, non vero in iis quæ maximi esse ab omnibus agnoscuntur? Quis dixerit individualismi decretum verum ac maxime commendandum in rebus divinis, non in humanis ac civilibus? Hanc utriusque ordinis necessitudinem aliquantulum perspexit idem quem modo afferebam Russavius, dum constituit societatem nequaquam ex hominis natura ac necessitatibus erui, sed solum ex pacto hominum

(1) *Die Apologetik*, drit. bd. p. 7.

(2) Circa illam hæc recte adnotavit quidam ex protestantibus theologus: « Les *Intellectualistes* comme les *Mystiques* ont tant rêvé d'une Église invisible, que l'Église visible en est devenue presque invisible, avant qu'une seule colonne de l'invisible se montrât à l'œil de l'intelligence. *L'Église invisible peut aussi peu subsister sur la terre sans l'Église visible que l'âme sans le corps.* » Pustkuchen-Glanzow, *Die Wiederherstellung des echten Protestantismus*, ap. Hœninghaus, *La réforme contre la réforme*, tom. I, p. 9.

arbitrio inito quodque pro libitu tollere queant, illam vero hominis naturæ minime consentaneam esse, at eidem potius repugnare.

At vero nimis a naturæ legibus sensuque hominum communi abhorrent ea methodi protestanticæ consectaria, quam ut in usum adduci in universum potuerint. Quamdam igitur in religione societatem externam servavere protestantes; sed, ut fieri oportebat, mancam, mutilam, sibi non cohærentem, firmi ac certi organismi penitus expertem nihilque cum instituto divino similitudinis præ se ferentem: quoniam abest vis ac vita divina, omnia nutant, in dies magis ac magis disturbantur, distrahuntur, ea quidem ratione ut, nisi meridianam lucem cernere recuses, jam facili negotio in *societatum* protestantium fronte insculptum signaculum rebellionis adversus ordinem divinum conspicere possis.

Quod si nunc eam quam paucis hactenus delineavimus catholicismi et protestantismi collationem consideraveris, a quibus partibus stet, si qui sit, christianismus, mox, ni fallor, perspexeris.

§ 2.

DE ECCLESIA JUDICE CONTROVERSIARUM.

Ecclesiam vidimus filios gignentem eosque placidos ac quietos nutrientem et regentem; alio deinceps, quamquam a priori non penitus sejuncto, respectu eadem consideranda venit. Quid enim? Quoniam hominibus constat christiana societas, plurimas ob causas fieri potest ut, postquam docti jam sunt, de quibusdam christianæ doctrinæ capitibus disceptationes moveant, quæ sæpe, nisi statim finirentur, multum detrimenti religioni ac fidelibus afferrent. Atque id crebro accidisse novit qui christianæ religionis fata non prorsus ignorat. Sæpius quippe fuere homines qui quædam divinæ revelationis decreta respuenda dicerent, aut in dubium vocanda aut diversa ratione intelligenda; et porro similia quavis ætate occurrunt, atque, spectata hominis natura, fieri nequit ut res aliter se habeat. Verum enimvero quamvis, intercedentibus divinis a Christo per Ecclesiam collatis remediis, restituimur ac instauramur, remanet tamen una cum libertate aliqua tum intellectus tum voluntatis imbecillitas qua a recto tramite deflectamus.

Quod si ergo ejusmodi graviores obortæ fuerint controversiæ, quid tunc faciendum? Quo pacto eæ componendæ ac dirimendæ sunt? Responsum expeditum habetur ex iis quæ hactenus circa Ecclesiam constituimus. Auctoritas scilicet illa, quam comprobavimus, puram ac integram Christi revelationem in se gestat, atque infallibilitatis dono præditam

eam agnovimus; quo posito sponte consequitur illius esse controversias, quotquot exortæ circa istam revelationem fuerint, supremo judicio finire ac transigere, ea quidem lege, ut simul atque lata sit sententia nefas habeatur cuiquam christiano rem finitam ad privati *judicii* trutinam denuo revocare aut ulla ratione in dubium vertere. Et vero si, ut vidimus, Ecclesia Domini vices supplet atque ab ipso infallibilitatis dotem mutuatur, quî fas esse posset illius judicia ad alterum judicem referre aut ea dubia ponere? Organum et os Christi est, adeoque ejus judicia non humana sunt sed divina; proinde qui vim eorum elevari posse sentiret, Christum ipsum judicaret. Quamobrem catholici omnes, qui soli Domini Jesu filii jure sunt censendi, Ecclesiæ judicia summa observantia tamquam ipsius Christi ore prolata suscipiunt nec latum unguem ab illis recedere fas existimant. Si autem iis refragetur aliquis, et pertinaci animo adhæreat doctrinæ quam falsam judicavit Ecclesia, is hæreticus fit, a christianorum societate sejunctus censetur et idcirco ab ipso Christo alienus.

Si porro quæras penes quos in Ecclesia sit ac *concreta* appareat auctoritas ea quæ supremo infallibilique judicio controversias finiat, respondeo eam inesse in hierarchia, quemadmodum supra monstratum est dum summæ quæ a Christo condita est auctoritatis organismum spectavimus. Duplici autem modo episcoporum corpus controversias dirimere potest: vel enim in concilium congregantur, atque ibi, re in contentionem adducta probe explorata, decernunt utrum Christi revelationi, cujus depositum ipsis concreditum est, consentanea an opposita sit; vel per suum caput Romanum Pontificem, qui omnium nomine eloquatur, sententiam ferunt, nulla synodo coacta. Utroque autem casu judicium æque firmum, infallibile adeoque *irreformabile* habetur, quod corpus episcoporum, sive *congregatum* sive *dispersum* fuerit, pari ratione Christi vices supplet atque eodem infallibilitatis dono præditum est. An vero supremum Romani Pontificis judicium tamquam irreformabile sit tenendum, etiam antea quam eidem accesserit consensus saltem tacitus cæterorum episcoporum, id a quibusdam theologis catholicis negatur : quid autem de hac eorum opinione sentiendum sit supra declaravimus, ubi de Petri successoris infallibilitate verba fecimus.

Quod si porro his perspectis, cum catholicismo, in quo omnia tam præclare cohærere conspiciuntur, protestantismum conferre volueris, ea in re quemadmodum et in reliquis miram rerum omnium perturbationem ac confusionem contueberis. Quoniam autem in apertis versamur, paucis rem conficere liceat.

Quid igitur? Si circa quoddam divinæ revelationis caput aliqua inter protestantes exorta fuerit controversia, quis, quæso, judex existat? Quo pacto illa finiri possit? Ex Scripturis, inquiunt; quippe quæ in rebus necessariis perspicuæ sunt. Optimum sane responsum? Quum ex

ipsius protestantismi historia dogmatica jam noverimus quid valeant Scripturæ sibi permissæ, quumque in posterum de Scripturis dedita opera simus dicturi, nihil hic huic responso opponendum ducimus. Id unum quærimus : ex Scripturis, inquis, omnis fidei controversia dirimenda est? Ita sane. — Nec ulla externa ac viva adest auctoritas qua ipsius Scripturæ sensus definiatur? — Hoc habet dogma protestanticum. At nequaquam istius modi auctoritate opus est, quod nempe perspicua dicitur Scriptura? — Verum paululum attendas, velim, ad quæstionis statum : sumitur scilicet esse de quodam christianæ revelationis capite controversiam, et quum nullum hujus revelationis fontem agnoscas præter Scripturam, procul dubio disceptatio illa versatur circa germanum cujusdam Scripturarum loci intellectum? — Assentior. — Sed jam rogo te, an locus iste perspicuus est dicendus de cujus sensu inter protestantes ipsos non convenit? — Ulterius, inquies, ac majori studio res indaganda est. — Sed si, debita inquisitione instituta, quisque suam, quam ante habebat, sententiam tenendam duxerit? — Fatendum certe finiri tunc non posse controversiam, cuivis autem id jure optimo tenendum quod sibi magis arriserit, illic namque non satis perspicuam videri Scripturam. — At rogo recenseas mihi ea christianæ religionis capita quæ ab omnibus protestantibus perspicua in Scripturis tradita agnoscantur : enimvero nullus est Scripturæ locus dogmaticus de cujus intellectu consentiant ii qui perinde ac tu uni Scripturæ fidem habendam statuunt.

Nec dicas eos qui tecum non concinant cæcis oculis lucem attrectare atque adeo non curandam esse eorum sententiam : quo enim jure talia efferas haud certe assequor ego. Nonne pari ratione easdem hasce criminationes tibi et ipsi objicere possent? Profecto quidquid molitus fueris, eo demum devenias necesse est, ut confitearis, stante tuo principio, summæ inscitiæ esse obortas controversias transigere velle, quæ non nisi auctoritate finiuntur. Imo vero si plane consisteret protestantica methodus, ne de controversiis quidem quoquomodo terminandis sermo esse posset, quum in eo illam sitam esse viderimus, ut quisque sibi, interposita Scriptura, doctor ac judex religionis habeatur. Sed hæc hactenus; ea enim copiose comprobata sunt e pseudo-reformationis principii historia.

Porro in hac, quam hoc loco paucis versamus de judice controversiarum, quæstione nequaquam disputationis catholicos inter et protestantes cardinem verti censemus, idque ex ante præstitis planum esse nobis videtur; quamvis enim nulla unquam oboriretur controversia, falsa tamen atque tum a naturæ legibus, tum ab indole et scopo christianæ revelationis plane abhorrens demonstrata foret protestantium methodus. Attamen exordio in eo præcipue ponebant totius disputationis vim ipsi theologiæ catholicæ principes, ut ostenderent non Scripturam sui ipsius

nterpretem esse, sed auctoritatem externam ac firmam necessariam esse quæ Scripturas certo interpretetur controversiasque finiat.

Sic Bellarminus, qui de religione et disciplinis theologicis optime meritus est, ait a quæstione de judice controversiarum omnem pene disputationem pendere. In hunc modum loquitur vir doctissimus : « Cum Scripturam obscuram esse et interprete indigere jam constiterit, sequitur alia quæstio : num Scripturæ interpretatio ab uno aliquo visibili et communi judice petenda sit, an unius cujusque arbitrio relinquenda? Quæ sane gravissima quæstio est, et ex ea quasi dependent omnes controversiæ (1). »

Profecto gravissima est ea quæstio, atque ex hac una prorsus convelli potest protestantismus. Ea tamen prima non est; et ubi methodica catholicismi expositio ac protestantismi confutatio instituuntur, plurima ante statuenda veniunt, quæ si apte fuerint præstita, absoluta erit catholica demonstratio, priusquam vel de judice controversiarum sit disputatum. Quod ut intelligatur, satis erit in memoriam revocare quæ disseruimus tum in comprobanda tamquam facto auctoritate a Christo condita, tum in ejusdem facti ratione reddenda.

Et vero antequam de Scripturarum interpretatione sermo sit, videndum est unde sint Scripturæ? Quærendum a quo protestantes Scripturas acceperint, quomodo eas noverint, ostendendumque non protestantium sed eorum tantum qui in Christi Ecclesia ac societate versantur esse Scripturas. Neque is est primus ac præcipuus Ecclesiæ finis, ut controversias dirimat, sed ideo in primis a Christo instituta est ac necessaria comprobatur, quod ea deficiente christiana revelatio pura ac integra servata non fuisset, quod opus a Domino inceptum perfici ac absolvi non potuisset, quod homines non apte et ordinate nec citra ullum errandi periculum Christi decreta fuissent edocti : liquet ergo controversias dirimendi munus nequaquam primarium, sed tamquam adventitium quid, si ad reliqua munia conferatur, Ecclesiæ inesse.

Verum, ut hæc recta ac firma sint, notandum tamen est in controversiis finiendis maxime elucere auctoritatis cujusdam immotæ necessitatem; et idcirco nihil mirum est initio in hac solvenda quæstione theologos nostros veluti totius disputationis cardinem posuisse. Accedit quod tunc temporis vix aut ne vix quidem assequi potuissent quidquid absurditatis et exitii in protestantismi principio delitesceret; neque enim, ut ante vidimus, id percipiebant plerumque ipsi protestantes theologi; illud paulatim variis intercedentibus disceptationibus in perspicuam lucem prodiit, et certe hac nostra ætate vel ex sola istius principii historica evolutione res extra dubium versatur.

(1) *De controversiis christianæ fidei adversus hujus temporis hæreticos*, tom. I, lib. III, c. 3.

Sed hæc pauca de illa quæstione adnotasse sufficit. Quoniam vero ea quæ ad Ecclesiam attinent, tum in se spectatam, tum cum hominibus communicantem, satis, pro instituto nostro, illustrata fuere, ad reliqua pergamus.

CAPUT IV.

DE SACRA SCRIPTURA.

Hactenus auctoritatis a Christo constitutæ rationem, indolem, organismum, vitam atque actionem conspeximus; et ex iis quæ in his statuendis et explicandis disseruimus liquet Ecclesiæ inesse existentiam propriam, perfectam, a nullo pendentem, ut quæ in Christi locum suffecta fuerit eumdemque integre referat : omnia ergo quæ ad christianam religionem spectant, quemadmodum a Christo, ita et ab Ecclesia pendent ac vim omnem trahunt. Ecclesia est ipsa Christi revelatio exterius prodita ac vivo organismo prædita; proinde complectatur oportet universa quæ istius revelationis sunt, nec, si stricte loqui velimus, quidquam christianismi est extra Ecclesiam.

Verum in christiana societate, quæ vera ac germana unum idemque est cum Ecclesia catholica, occurrunt Scripturæ divinitus inspiratæ, quæ peculiaris quidam fons revelationis habentur, quæque propterea pars sunt instituti christiani. Ut igitur plenior sit quam instituimus de methodo catholica disputatio, necesse est ut dicamus quis ex hujus methodi principiis statuendus sit Scripturarum locus, quis usus; et vero, quoniam maxime adversus protestantes agimus, qui quæcumque christianæ religionis sunt in solis Scripturis ponunt, altera accedit ratio cur de his singulari studio disseramus.

Tria autem hic potissimum esse videntur explananda; quæ si probe tenuerimus, planum fiet qua ratione theologus catholicus sacris Scripturis uti debeat et quantopere verum earumdem locum perturbent protestantes. Scilicet inquisituri sumus num Scripturæ et esse et cognosci possint sine Ecclesia; utrum, ubi notæ fuerint, integra religio christiana ex illis erui queat; atque an, ut intelligantur et recte exponantur, necessaria non sit Ecclesia; — denique quæ sit Scripturarum utilitas, et quis in Ecclesia Christi usus.

§ 1.

DE SCRIPTURARUM EXISTENTIA, CONSERVATIONE ET CERTA POSSESSIONE.

Ubi de sacris Scripturis sermo instituitur, prima occurrit solvenda quæstio, unde sint Scripturæ, qua via ad nos pervenerint et quo pacto in earum possessionem veniamus? Quamobrem dum cum protestantibus res agitur, nequaquam in eo exordium disputationis est ponendum, ut quæratur utrum Scriptura sit clara et perspicua nec-ne, atque hinc egeatne an non explicatione a firma et certa auctoritate petenda; sed antea quam de interpretatione sermo esse possit, videndum est an et quo jure Scriptura apud protestantes habeatur? Si enim comprobatum fuerit sine Scripturis, ut aiebat Tertullianus, eos ad Scripturas non pertinere, non jam deinceps admittendi sunt ad disceptandum de earumdem perspicuitate obscuritateve. Quoniam vero plura quæ ad hoc argumentum spectant in medium jam adducta fuere ubi de prædicatione Apostolorum et historia evolutionis principii protestantium sumus locuti, hic paucis rem conficere licebit.

Porro, ut appareat an quopiam pacto Scripturæ sint protestantium, in memoriam primum revocemus quo tempore et a quibus illæ ortæ sint. Notandum autem nos hic et in proxime sequentibus §§ potissimum loqui de libris novi Testamenti. Atque vidimus ab Apostolis aut ab eorum discipulis conscriptos fuisse libros istos, sed non ab his exarandis exordium prædicationis illos sumpisse : tum quippe scripsere quum plurimos jam ad Christi fidem adduxerant, atque ad eos qui Christo nomen dederant scripta direxere. Factum illud testatissimum est et a nemine in dubium vocari potest.

Quo posito sic argumentari licet. Quo tempore exaratæ sunt Scripturæ, jam erat Ecclesia; Christus instituerat Apostolos qui suî vices supplerent aliosque pariter et ipsi assumerent quibus eadem munia committerentur: Apostoli ergo cum iis quos in fide filios genuerant erant vera ac germana societas christiana seu Christi Ecclesia. Quod si ita est, consequitur Scripturam a membris seu ducibus Ecclesiæ profectam esse, et item ad ejusdem Ecclesiæ membra fuisse directam : in Ecclesia igitur data est et ad Ecclesiæ membra. Proinde libri isti tunc temporis istius Ecclesiæ erant, possessio ejus erant, nec quivis ab ea alienus quidquam juris in eos sibi arrogare poterat.

Id profecto perspicuum est nec ullus inficias iverit. Quid enim, quæso, respondissent fideles si quis ab eorum societate sejunctus occurrisset clamitans eos Scripturis non consonare? Nonne statim reponere debuissent : quid tibi cum Scripturis commune est? Unde venis? Membrumne

es christianæ societatis? At christianorum sunt Scripturæ; cur ergo de his loqueris, peregrinus quum sis? *Non christiani nullum jus capiunt christianarum litterarum.*

Verum quod illi respondissent, et nos respondere possumus. Quoniam enim, ut probavimus, Ecclesia a Christo instituta una est et perpetua quæ ab Apostolis haud intermissa episcoporum successione descendit, planum est Scripturas unius hujus Ecclesiæ esse, nec quidquam earum ad alios attinere. Quocirca protestantibus merito dicimus : alieni estis ab illa christianorum societate cujus sunt Scripturæ, a qua et cui editæ sunt; nihil ergo vobis cum illis commune est, et ubi de iis loquimini, peregrina quæ ad vos non spectant imprudentes usurpatis : nostræ sunt Scripturæ; nos enim una eademque externa ac visibilis, nunquam interrupta, cum Apostolis et illis fidelibus ad quos scripsere, societas atque Ecclesia sumus, cujus vos non modo non participes estis, sed et quam tollitis et esse negatis.

Inde ergo expeditum plane est protestantes ad Scripturas non pertinere.

Age vero pergamus atque inspiciamus qua ratione servatæ fuerint Scripturæ. Cuivis enim attendenti facile patet scriptum quodlibet non per se et sine ullo externo præsidio ac subsidio servari, sed a societate in qua ortum est illud excipitur, custoditur et ita porro ad ætates posteriores transmittitur; nisi ita esset, scriptum mox periret et sæculis in posterum currentibus ignotum foret. Hac igitur via quælibet antiquitatis scripta profana ad nos pervenerunt; atque eorum authentiam eo firmiorem habemus quo planior, expeditior ac perfectior fuit via ista.

Quod si ita est, simili quoque ratione sacras Scripturas acceperimus necesse est, hoc tantum discrimine quod, prout res postulat, multo perfectior esse debuerit ratio qua ad nos devenerint. Probe enim notandum est non qualibuscumque libris annumerandas esse Spirituras, sed, utpote divinitus inspiratas ac divina et supernaturalia tradentes, firmiori egere fundamento cui innitantur, ut plene et integre ab hominibus suscipiantur. Namque ut vera ac germana indoles librorum sacrorum servetur, procul dubio satis non est eos authenticos ac fide historica dignos habere; verum oportet ut, præter authentiam quæ ipsis cum reliquis scriptis communis sit, divina insuper inspiratio eis inesse agnoscatur : nisi hæc duo, authentia et divina inspiratio, simul adfuerint, librorum istorum peculiaris indoles periit, nec amplius sacri aut divini sunt appellandi (1).

(1) Circa peculiarem sanctarum litterarum indolem hæc præclare ait Mœhler: « Séparant les écrivains sacrés d'avec les auteurs profanes, le chrétien ne place point au même niveau la lecture de l'Évangile et celle de toute autre

His ita in antecessum constitutis, facili negotio expediri jam poterit quæstio in medio posita. Scripturæ novi Testamenti, ut vidimus, a christianorum societate apte disposita et *organizata* profecta sunt, atque in ea permanserunt ejusque scripta ac veluti litteratura propria erant : illa ergo societas, quæ una ac germana Christi Ecclesia nuncupatur, Scripturas eas, utpote suas, servare debuit, easdemque, prout apud se exstabant, tradere iis qui in ejus consortium adsciscebantur; et ita porro haud intermissa traditionis serie in singulas ætates in eadem hac societate, cui inerat vita perpetua, permanebant servabanturque pari semper auctoritate ac firmitate præditæ, eamdemque qua primitus donatæ fuerant divinam indolem præ se ferentes. Neque vero periculum ullum aderat ne quidquam detrimenti caperent aut ulla ratione adulterarentur, in iis saltem quæ majoris sunt momenti; providerat quippe Christus Dominus, quod supra demonstratum est, ut illa de qua loquimur societas firma ac certa in perpetuum foret, atque adeo sacrorum librorum, qui ipsius erant, tuta ac integerrima custos.

Itaque si hactenus dicta recte se habeant, plane conficitur libros sacros ab eadem hac societate, quæ nunquam moritur, cujus primitus erant atque æternum manebunt, conservatos fuisse et ad hanc usque ætatem adductos. Atque hinc iterum consequitur illos omnes ad Scripturas non pertinere, ut Tertulliani verbis utar, qui istius societatis, quæ, perinde ac ipse Christus cujus imaginem refert, una et individua est, membra non sunt.

Verum et aliud inde fluit summi etiam momenti consectarium. Quid igitur? Sequitur nempe Scripturas ab Ecclesia sejungi non posse earumque conservationem illi acceptam esse referendam. Quod ut apertius fiat, pauca in hanc rem monenda duco.

Ex pseudo-reformationis principio quisque sibi in iis quæ religionis sunt permittendus est, atque ex Scripturis discere debet quæ sit vera ac germana Christi doctrina. At ut ex iis quidquam discere possint, eas ante præ manibus habeant necesse est. Quo igitur pacto in earum possessionem veniant? Stante catholica methodo res plana admodum ac facillima cernitur; quum enim eadem semper maneat societas quæ initio erat, quæque Scripturas ut depositum quoddam perpetuo in se servavit integras, in illa etiam hodie esse conspiciuntur, atque ab

histoire. Pour faire taire le doute dans les esprits et les consciences, il faut que les Évangélistes aient écrit sous des conditions spéciales; autrement le lecteur serait toujours à se demander : mais cet Apôtre a-t-il bien vu, bien entendu, bien compris? . . . Pourquoi tout cela? parce que l'Evangile doit satisfaire de tout autres besoins qu'un classique grec ou latin; parce qu'il s'agit de nous-mêmes, de nos destinées éternelles, de notre tout enfin. » *Symbol.* ch. V, § 44, tom. II, p. 58-59.

auctoritate qua regitur et gubernatur eas accipiunt ejusdem societatis membra; constitutis igitur auctoritatis Ecclesiæ principiis, citra ullam operam catholici in Scripturarum possessionem venimus. Sed si constiterit protestantismi principium, non ita facile res expediri posse videtur. Equidem quoniam *reapse*, quidquid secus clamitaverint adversarii, Christus condidit Ecclesiam quæ peculiari ac divino studio Scripturis custodiendis invigilavit, ipsi dum prodiere eas nullo molimine in manibus habuerunt, quum perinde ac catholici ab eadem hac quam tot et tantis criminationibus insectabantur Ecclesia sacras litteras accepissent. Sed fac protestantium methodum veram esse, atque adeo ab ipso Christo et Apostolis initam, institutam ac commendatam, quid contingere debuerit? Dubio procul nullus jam de quadem societate christiana proprio ac idoneo organismo prædita, ubi asservarentur Scripturæ, sermo esse posset; ejusmodi enim societas individualismo protestantico plane repugnat. Scripturæ igitur sibi permissæ fuissent, et quisque, nulla auctoritate docente, eas quærere et sibi comparare debuisset, ut demum inde veram Christi doctrinam promeret : quod quidem, ut obiter dicam, fieri nequaquam potuisset, nec plerique hominum ipsius Christi, cujus doctrinam inquirerent, existentiam novissent. Finge tamen, si modo id vel mente assequi potueris, adeo quippe absurdum est ut vix in cogitationem veniat; finge, inquam, externam, visibilem et apte organizatam christianorum societatem seu Ecclesiam nullam esse, neque inde a Christi et Apostolorum ætate extitisse, ubinam rogo Scripturas sis quæsiturus? Nec dicas te posse, negata Ecclesia, ex Patrum testimoniis certam Scripturarum notitiam consequi; etenim, quamvis hoc tibi concederem, nonne perspicis te ex una parte societatem illam de medio tollere, ex altera autem eamdem restituere? Patres namque istius societatis membra sunt et quidem præcipua, atque de Scripturis hac ratione loquuntur quod et ipsi eas ab aliis ejusdem quoque Ecclesiæ membris acceperunt; unde fit ut, vel non spectata Ecclesiæ infallibilitate, tam firma ac luculenta, saltem quod ad earum authentiam attinet, sacrarum Scripturarum sit traditio.

Sed nisi fuisset societas illa quam diximus et a qua Patres una cum Christi doctrina Scripturas habuerant, putasne ejusmodi testimonia in eorum scriptis occurrisse? Imo vero censeo ego futurum fuisse ut nec *Patres* extitissent. Quod si hoc, a quibus nunc Scripturas peteres? Probe enim notandum hic omnia misceri solere a theologis protestantibus : postquam id principii loco assumpsere, methodum catholicam in erratis esse, quo posito sequeretur nullam a Christo societatem rite organizatam fuisse conditam, at simul atque de Scripturis sermo recurrit, eamdem hanc societatem quam inficiati sunt in suî patrocinium advocant, quatenus saltem ea sub respectu humano ac traditionali consideratur; quod profecto longe abest a recta argumentandi ratione. Si

Ecclesiam, quæ cum illa, de qua loquimur, christianorum societate plane idem est, sustuleris, omnia pene sustulisti, nec amplius assequor ego ubi Scripturas invenias, nec quo pacto vel ipsæ Scripturæ esse queant.

At vero tametsi Patrum testimonia ad Scripturas firmandas jure advocare possent protestantes; — Patres enim *reipsa* extitere — nescio tamen utrum hac etiam via, quæ ipsis minime patet, in certam Scripturarum possessionem venirent. Sublata enim, ut postulat eorum methodus, omni christiana institutione; sublato omni de veritate aut falsitate religionis christianæ præjudicio; cujusque dogmatis ante accepti mente prorsus experte, quis protestantium Scripturas ut vere sacras ac divinas habiturus sit? Quid nempe tunc accideret ex Semlero didicimus.

Accedit quod, si majorum suorum principio strictius adhærere vellent protestantes, nequaquam ex traditione viva seu ex Patribus, sed ex sola Scriptura ipsius Scripturæ authentiam et divinam inspirationem statuere deberent; quod nullo pacto fieri potest, quin etiam et absurdissimum est, quodque, si in usum adduceretur, recta in rationalismi aut fanatismi profundum eos præcipites ageret. Verum hæc ex ea quam supra adumbravimus principii protestantismi historia abunde fuerunt comprobata, atque adeo in illis enucleandis diutius immorari non est necesse, eo vel magis quod ea sæpius a theologis nostris apte et luculenter disputata ac demonstrata fuere (1).

Porro ea quæ de historicis testimoniis explorandis dicimus ad doctos et eruditos tantum viros spectant; sed non doctorum modo, verum et rudium et imperitæ plebis est religio : « Quid, inquiebat Augustinus amico Honorato, cæteris hominibus, qui tam sereno ingenio præditi non sunt, negandam religionem putas?... Neque enim tibi quivis homo in rei tantæ cupiditate ullo modo deserendus aut respuendus videri potest (2). » Qua igitur via id genus homines ad Scripturas perveniant?

Stante namque methodo protestantica, a nullo hominum sunt docendi, sed ipsi sibi permittendi ut solis suis viribus nixi inquirant ubi sint Scripturæ, quique ex libris Scripturarum nomine vulgo donatis re vera divinitus sint inspirati : id autem quam longe absit a rudium viribus quis vel cæcus non videat?

Quæ quum ita se habeant, omnino expeditum est id quod modo aiebam, Scripturas ab Ecclesia sejungi non posse; hac quippe sublata illas quoque corruere nec a nobis teneri posse.

Et vero Scripturarum ratio postulat ut eæ a societate divinitus instituta conserventur atque hominibus tradantur. Homini, quatenus homo est,

(1) Cf. Cl. Wiseman, *Conférences sur les doctrines et les pratiques les plus importantes de l'Église catholique*, IIe *Confér.*

(2) *De utilitate credendi*, c. X, n. 24.

non committuntur asservanda et cum suî similibus communicanda divina eloquia; nutaret nempe imbecillior ejus auctoritas simulque labefactaretur sacra librorum sibi concreditorum indoles. Quocirca si Deus scripta divina eaque ad omnes aut saltem ad magnum hominum numerum spectantia largiri voluerit, dubium non est quin pariter divinam, in qua asserventur ac propriam quæ ipsis inest naturam certo ac firmiter in perpetuum teneant, societatem condat custodiatque : humana humanis, divina autem divinis continentur. Sane nisi una cum divinis Scripturis divinam etiam, cui custodiendæ concrederentur, Ecclesiam instituisset Deus, haud assequor qua ratione divina Scripturarum indoles defenderetur, et, mea quidem sententia, rationalismus causam vicisset : ubi de divinis Scripturis sermo est, id omnino statuendum arbitror quod de divina revelatione in universum supra tenuimus, nihil plane medium esse inter catholicismum et rationalismum, et idcirco, si repellatur catholica methodus, tollendas itidem sacras Scripturas. Hinc scripta divina nusquam Deus hominibus tribuit, quin simul adesset divina societas cui traderentur. Ante Christum natum populo electo sui erant libri divini, sed aderat quoque divina societas eaque idoneo ac vivo organismo prædita; quumque Christo Domino adveniente, a Deo reprobata est synagoga, constituta est christiana Ecclesia quæ deinceps Scripturarum tum novi tum etiam veteris Testamenti *divina* custos extitit : Ecclesia in synagogæ locum suffecta est, et quemadmodum antea veteris Testamenti Scripturæ hujus posterioris erant eidemque commissæ, ita, ea per Christum deficiente, Scripturæ istæ Ecclesiæ sunt atque ab hac divinitus servantur. Quamobrem una cum novo Testamento pari etiam ratione ac jure vetus tenet Ecclesia.

Quibus constitutis, quis non fateatur omnia perbelle cohærere in catholica methodo, mirumque in modum vel cæcorum oculos percellere præclaram divinæ providentiæ rationem? Quis contra non videat omnia nutare, perturbari, labefactari, repugnare, si a catholicismi limitibus recedatur? Quis hæc serio animo perpendens dixerit quidquam inesse protestantismo quod divinam religionem referat? Profecto nisi merum commentum ac deliramentum foret pseudo-reformationis methodus, nihil amplius ambigendum existimarem : summæ inscitiæ ducerem Scripturas deinceps ut divinas habere, calculumque omnino adjiciendum putarem Pauli Straussiive systemati vel alteri certe ejusdem rationis; ut enim ridicula et absona videantur rationalistarum hac de re systemata, at magis tamen sibi cohærent.

§ 2.

DE DOCTRINA QUAM SACRÆ SCRIPTURÆ EXHIBENT DEQUE HARUM INTELLECTU AC INTERPRETATIONE.

Scripturas ergo ab Ecclesia accipimus qui hujus divinæ societatis cives existimus, neque hac sublata illæ consisterent. Verum parum sane est Scripturas præ manibus habere, nisi earum sententias assequi atque ex illis revelatam doctrinam elicere queas : restat igitur ut videamus qua ratione Scripturarum interpretatio sit instituenda.

Quo autem plenius solvatur hæc quæstio, paucis expendendum est an integram christianæ revelationis doctrinam exhibeat Scriptura, an ea clara et perspicua inibi occurrat, quis demum sit Scripturæ et Ecclesiæ hac in parte mutuus nexus, quæque germanæ ac scientificæ interpretationis regula? Hæc, quoniam jam pleraque saltem attigimus ubi de Apostolorum prædicatione verba fecimus, facile hic enodari poterunt.

Quod spectat primum ad quæstionem hanc, utrum universam Christi revelationem exhibeat Scriptura, vidimus nequaquam id Apostolis propositum fuisse ut integram religionis christianæ doctrinam litteris mandarent. Quid enim? Exordio Evangelium viva voce per regiones prædicarunt, variasque hac ratione fidelium communitates constituerunt; postea autem pro re nata ac prout postulabat quorumdam fidelium necessitas, quædam in ipsorum commodum scripsere; sed vel in ipsis illis scriptis interdum eos monent ut firme teneant decreta quæ viva voce et coram edocti fuerant, et porro perpetuo innituntur doctrinæ ante traditæ. Sed hæc abunde in parte historica monstrata sunt. Quapropter id nobis ut certum ac ratum assumere liceat, nullo saltem fundamento dici posse universam Christi revelationem in Scripturis occurrere; sane illud asseverare summæ temeritatis foret, quandoquidem contrarium plane suadeant sacrorum scriptorum scopus et adjuncta in quibus versabantur ii ad quos scripta dirigebant. Itaque hac etiam in parte vehementer allucinantur protestantes, dum firmissimi ac sacri dogmatis instar ponunt totam christianam religionem in Scripturis esse : hæc eorum asseveratio, in qua vertitur pseudo-reformationis ædificium, ad minimum quam maxime temeraria est ; et ego certe nunquam assequi potui quo pacto viri docti eam sententiam adeo foveant, ut vel dubium de ejus firmitate moveri non sinant. Enimvero quum nuspiam testentur Apostoli sibi animum esse omnia doctrinæ Christi capita litteris commendare, liquet profecto decretum illud quo nititur protestantismus meram esse *hypothesim* pro arbitrio fictam; at in negotio omnium maximo fasne est, quæso, ab

hypothesi saltem arbitraria proficisci, atque in ea universa constituere? Sed hæc leviter hic attigisse sufficiat.

Quæ quum ita sint, catholici nos sic ratiocinamur : e sacrarum Scripturarum scopo variisque adjunctis in quibus exaratæ fuerunt, ex ipsa forma et ratione quæ in illis cernitur, consequitur eas citra temeritatem nequaquam haberi posse tamquam totius christianæ revelationis completum numerisque omnibus absolutum codicem. Quo posito, ut quæstio plenius solvatur, adsit necesse est norma quædam perfecta ad quam exigatur Scriptura, ut tandem pateat utrum reapse sint nonnulla doctrinæ Christi capita quæ in illa non occurrant. Porro regula ista nobis est Ecclesia quæ, quoniam in se gerit integram Christi, cujus vices supplet, revelationem, optime novit an et quousque universam magistri doctrinam referant Scripturæ : illa autem nonnulla tamquam divinitus tradita tenet quæ nuspiam in Scripturis comparent. Cæterum nonnulla etiam de his postea sumus dicturi, ubi de traditionibus sermo recurret.

Nunc vero videndum restat an et quibus doctrina in Scripturis tradita perspicua sit dicenda? Ubi de sacrarum litterarum perspicuitate obscuritateve quæstio instituitur, id in primis probe ob oculos habendum est, non tam de perspicuitate *absoluta* quam *relativa* agi. Quid ergo? Fieri nempe posset ut Scriptura plana et aperta foret iis qui doctrinam in ea occurrentem prius bene fuerunt edocti, dum contra perobscura et penitus inextricabilis videretur illi cujus mens christianorum dogmatum expers existat. Proinde ut secundum principia quæ hic de catholicismi et protestantismi methodo expenduntur absolvatur quæstio, minime eodem loco habendi sunt protestantes et catholici, nec vero inquirendum an Scriptura in universum et *absolute* omnibus illis clara sit an obscura. Etenim, quod ante uberius fuit demonstratum, ex protestantium methodo quisque sibi ea quæ religionis sunt ex Scripturis eruere debet, hac quidem lege ut, quum in Scripturas pervolvendas incidit, alta omnium christianæ revelationis dogmatum ignoratione laboret; ut hoc pacto mente ab omni præjudicata opinione plane immuni suo ipsius studio ex nitidissimo fonte demum hauriat quæ Christus revelavit, non autem doctrinam ab aliis hominibus accipiens periculo se committat ne humana commenta divinis Scripturarum decretis vel inscius forte supponat. Itaque nisi secum pugnare velint protestantes atque ita principium quod tantopere venditant falsitatis ipsi arguere, necesse est ut Scripturas legant non secus ac illas inspiceret volveretque ethnicus quispiam qui christianam religionem penitus ignoraret. Patet ergo quantum discriminis intersit catholicos inter et protestantes : nos quippe ubi Scripturas adimus, jam animo tenemus Christi revelationis decreta; adeoque quamvis clara et perspicua nobis ut plurimum esset Scriptura, nihil inde consequeretur quod protestantium causam quidquam juvaret.

Quocirca plus æquo adversariis largiuntur nec germanum quæstionis statum satis accurate definire videntur theologi qui, ut protestantium principium de Scripturarum perspicuitate refellant, id tantum agunt ut probare studeant Scripturam non esse per se tam claram et apertam quam illi jactitant, sed in pluribus obscuram et intellectu difficilem, distinguere autem non curant illa quæ modo indicabamus. Equidem non me fugit eam viam sæpius a theologis initam fuisse, quod re vera et *de facto*, ut aiunt, protestantes perinde ac catholici christiana dogmata discere solent antea quam Scripturas legendas accipiant; sed hic, quemadmodum in cæteris omnibus, inquirendum est in primis non quid *de facto* agant adversarii, at quid *jure* agere possint : de principiis enim, non de factis disputatur.

Porro his in antecessum positis, ut appareat qua ratione et quibus perspicua forsitan dici possit Scriptura, necesse non est singulos libros persequi et varia eorum loca in medium proferendo ostendere multa in sacris litteris occurrere quæ minime sint aperta; verum satis erit in memoriam revocare in universum quis fuerit Apostolorum scopus, quis status eorum ad quos scripta dirigebant. At vidimus non ethnicis, sed christianis scripsisse Apostolos; non iis qui christianæ revelationis ignoratione tenerentur, sed iis quos prius viva voce instituerant. Is vero sacris auctoribus animus fuit, ut peculiaria solummodo capita, prout ferebat occasio, istis christianis traderent, non autem ut omnia Christi decreta singulatim et dedita opera enarrarent; quippe quæ jam nota censebantur.

Quo posito sponte solvitur instituta quæstio. Primum enim conficitur iis tantum apertam fore Scripturam, si modo aliqua ratione clara dici queat, qui, quemadmodum fideles illi ad quos primitus directa est, christianam fidem jam edocti sint, quique idcirco intellectum ac sensum christianum gerant; secus enim ordo perturbatur et fieri nequit ut recte intelligantur Scripturæ : et sane ethnicus pauca admodum, ni fallor, in sacris christianorum libris perspicue tradita deprehenderet. Proinde si firma constiterit protestantica methodus, nihil ferme aperte dictum in sanctis litteris videbitur, omniaque densissimis tenebris circumfusa erunt; christianis quippe datæ fuerunt, protestantes autem chritiani esse non possunt antequam eas legerint atque inde christianam doctrinam hauserint. Solius Ecclesiæ est sensum christianum in hominibus formare eosdemque sic idoneos efficere ad divina decreta quæ exhibet Scriptura facile percipienda; quum enim animo rite informatus est sensus ille christianus, plurima sacrorum librorum capita satis perspicua fiunt, quæ, eo deficiente, intellectu forent difficillima, aut etiam penitus legentis mentem effugerent. Cujus quidem rei ratio omnibus patebit dummodo ob oculos habeantur quæ de Scripturarum scopo et forma diximus. Apostoli videlicet de quodam peculiari doctrinæ capite disse-

rentes multa alia, ut fit, cursim et obiter uno alterove vocabulo attigerint; quæ, quoniam prius tradita fuerant, non opus erat pluribus aperire, sed satis habebatur in transcursu innuere sicque in fidelium memoriam revocare. Rogo autem, quis illa obiter subindicata percipere possit nisi is in cujus mente jam alte insideant varia ista decreta quæ his in locis respexerint Apostoli? Hinc vero fit ut theologi catholici, utpote iis jam instructi, quam plurima satis aperte dicta in Scripturis offendant, quæ nisi aliunde nota forent perdifficilia certe ac perobscura viderentur.

Verum etsi hactenus disputata firma ac rata sint, fac tamen protestantes, quorum methodus adeo a rationis via abhorret ut ne in usum quidem unquam adduci possit, prius perinde ac catholicos christianam religionem edoceri quam ad Scripturas interpretandas aggrediantur. Num igitur tam plana etiam fiet Scriptura ut, si quisque sibi in explanando relinquatur, facile ea intelligatur atque inde clara ac sibi constans sententia ab omnibus eruatur? Ad hanc enodandam quæstionem supervacaneum plane est longam orationem adsciscere; trium namque sæculorum experimento abunde comprobatum est quid de ea sit sentiendum. Omnia sacrarum litterarum loca, quæ principio tam aperta venditabantur, aliis atque aliis interpretationibus sibi invicem repugnantibus fuerunt explanata, nec ullus hodie superest locus quem in diversas easdemque contrarias partes non traxerint pseudo-reformationis discipuli. Ea ex superiori historia in apertis versantur. Scilicet quamvis antequam Scripturas pervolvant fidem christianam discant protestantes, quoniam tamen ipsis deest divina auctoritas qua sensus christianus ab omni falsæ rationis cupiditatisve injuria liber custodiatur semperque purus ac integer permaneat, ideo, maxime si auctoritatis cui hactenus obtemperabant imbecillitatem ac repugnantiam fuerint assecuti, brevi titubat fluctuatque conscientia quam gerebant christiana, nec deinceps eidem multum obsequi aut ad eam advertere student, atque hinc eodem ferme recidunt ac si ab initio omnis doctrinæ christianæ expertes fuissent.

Quamobrem parum est Christi religionem primitus didicisse, nisi perpetuo steterit divina auctoritas quæ sensum christianum a se in fidelium animo formatum foveat conservetque ac interpretem in explanando continenter dirigat; alioqui, ut luctuosa nimis experientia monstravit, ea etiam quæ christiano interpreti bene edocto plana sunt perobscura fiunt, ita ut pene quot homines sunt, tot inde sententiæ eliciantur. Quod quidem apte et concinne tradidit Vincentius Lerinensis, cujus verba a nobis supra jam recitata hoc etiam loco exscribere operæ pretium ducimus. Sic ergo loquitur scriptor egregius : « Hic forsan requirat aliquis : cum sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei *ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas?* Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi recipiunt, sed ejusdem

eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur; ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur (1). »

Quod si vero nonnunquam accidat ut Patres Scripturam claram et apertam prædicent, id verissimum esse et nos dicimus, dummodo probe teneantur ea quæ constituimus; eadem autem Patres sæpius aut explicite et conceptis verbis tradunt, aut perpetuo ob oculos habent atque ad amussim sectantur, quippe qui in christiana Ecclesia instituti ac edocti fuerant atque in eadem perseverabant.

Porro quamquam in his constituendis novi Testamenti libros potissimum respexerimus, simili tamen prope ratione ad veteris Fœderis Scripturas ea sunt accommodanda : sensus namque qui in antiqua judæorum synagoga *judaicus* inerat, quique facis instar aderat Scripturas illuminantis ac illustrantis, in Christi Ecclesiam una cum eadem hac synagoga translatus est, *christianus*que factus viam deinceps in interpretandis Scripturis præmonstrat *christianæ* Ecclesiæ filiis. Etenim quæ ante Christum erat synagoga et ab ipso condita societas nequaquam duæ, nullo necessitudinis aut continuitatis vinculo conjunctæ, ecclesiæ sunt, sed una eademque Ecclesia, nomine licet ac dotibus, prout postulabat divina sapientia, longe disparibus prædita; et propterea quemadmodum antiquæ synagogæ erant Scripturæ illæ, harumque eloquia extraneis peregrina cernebantur, ita et christianæ Ecclesiæ nunc sunt, cujus qui sensum ac intelligentiam, ut cum Vincentio dicam, non tenet, nihil pene doctrinæ in illis traditæ est assecuturus.

Quæ quum ita se habeant, liquet sacras Scripturas posse quidem, in multis saltem gravioris momenti locis, claras ac perspicuas dici, sed iis tantum qui Ecclesiæ doctrinam et sensum prius acceperint firmeque deinceps tenuerint; et idcirco quemadmodum sine Ecclesia nec editæ, nec servatæ, nec nobis traditæ fuissent Scripturæ, sic nec sine illa intelligi possent.

Quo constituto, restat ut paulo explicatius aperiamus quæ sit vera ac germana interpretandi ratio, regulamque a Tridentina synodo expressam vindicemus, ex ipsis religionis christianæ principiis commonstraturi eam tolli non posse quin simul labefactetur christianismi indoles, omnisque etiam vere scientificæ exegeseos via præcludatur.

Quid enim? Catholicos theologos crebro irrident protestantes et rationalistæ quod, inquiunt, clausis veluti oculis Scripturas versent, veriti ne quidquam alicubi offendant quod Romanæ Ecclesiæ placitis refragetur;

(1) *Commonitor*. c. 2.

minime, aiunt, libero ac serio animo eas explanant catholici, sed secundum sua præjudicia, a quibus desciscere nefas habeatur, omnia interpretari coguntur. Hæ nempe similesve criminationes protestantibus et rationalistis gentiles sunt. Nobis igitur ostendendum est quam eæ inanes ac fictitiæ sint, quamque animi cæcitatem aut certe malam fidem in adversariis prodant. Quod quidem ut plenius præstetur, primo paucis monstrabimus regulam a Tridentino concilio statutam sponte ac necessaria lege ex ipsa christianismi indole fluere; deinde vero tantum abesse ut illa scientiæ exegeticæ quopiam pacto impedimento sit, ut contra scientiæ causam multum juvet promoveatque; postremo exegesi plurimum obesse protestantium ac rationalistarum methodum eamdemque a germanæ scientiæ natura plane alienam esse.

Itaque canon interpretationis a Tridentina synodo constitutus hic est : « Decernit (sacrosancta synodus) ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat (1). » — Quî hæc concilii regula perbelle consonet methodo quam quavis ætate iniverunt veri nominis christiani supra vidimus; quî autem ipsis christianæ religionis principiis cohæreat pressius est demonstrandum. Porro res valde operosa non est; imo vero si recte se habeant hactenus disputata, quæstio jam absoluta videtur, idque unum hoc loco nobis præstandum superest, ut ea colligamus atque ad Tridentinæ synodi canonem illustrandum enucleatius accommodemus.

Ex superius definitis duo constant quæ jam a nemine in dubium vocari queunt : Scripturam scilicet ab Ecclesia sejungi non posse, nec universam Christi revelationis doctrinam, eamdemque apertam ac omnibus patentem, exhibere; deinde vero Ecclesiam Christi vices gerere, propterea que in ea inesse integra ac perpetuo illibata christianæ religionis decreta. Quibus positis, sic rem conficere licet. Quod ad qualitatem attinet, Scripturæ atque Ecclesiæ doctrina minime differt, sed una eademque cernitur, quippe quæ ab eodem divino fonte manaverit; neque enim duæ pluresve sibi repugnantes extitere revelationes quarum unam Scriptura, alteram Ecclesia exhibeat; Deus sibi adversari nequit : at quoniam Scriptura et Ecclesia unius Dei opus comprobantur, necesse est ut eadem divina doctrina in utraque occurrat. Planum igitur est nihil in Scriptura esse posse quod Ecclesiæ decretis ulla ratione adversetur; alioqui Deus ipse, utriusque auctor, secum pugnaret; quod qui diceret, impius æque

(1) *Sess.* IV.

ac absurdus existeret. Quod si hoc, quî, quæso, fas esset Scripturas interpretari contra eum sensum quem tenuit et tenet Ecclesia? Nonne pari jure ac ratione cuivis integrum esse deberet Deum in varias partes trahere atque ita Deum Deo opponere?

Sed ulterius progrediamur. Spectata ergo doctrinæ qualitate, in promptu jam est rectam, quin et necessariam esse regulam a Tridentina synodo expressam. Verum expeditior ac illustratior res existet, si non qualitatem modo, sed et quantitatem et formam doctrinæ respexeris.

Quid enim? Supra constitutum est universam divinæ revelationis doctrinam in Ecclesia inesse atque ibi nequaquam ut emortuum quid conspici, sed vivam, animatam, perpetuo actuosam, et propterea claram ac perspicuam esse; in Scriptura autem non universam, maxime vero non ita apertam, sensu scilicet superius declarato, ac facilem occurrere. Quocirca ad doctrinæ quantitatem et formam quod attinet, multum discriminis intercedit Scripturam inter et Ecclesiam; quo fit ut illa sine hac recte intelligi non posset.

Et vero etsi codicis legum more eo consilio conditæ fuissent Scripturæ, ut omnia et clarissimo quo fieri possit modo divinæ revelationis decreta proderent, ob eam tamen formam quam necessario præ se ferunt quælibet scripta, opus etiam fuisset illarum interpretationem exigere ad normam sensus *traditionalis*, cujus germana ac indubitata expressio ab Ecclesia divinitus instituta requirenda fuisset; « per se namque, ut optime eloquitur Plato (1), scriptura muta est, nec, si interrogetur, explicationem prodere potest, nec, si impugnetur, semet tueri; semper ipsi patris auxilio opus est » : sacrarum autem Scripturarum pater est Spiritus sanctus per Ecclesiam. Quapropter quamvis indolem mox definitam referrent Scripturæ, nihilominus consisteret Tridentini canon. Verum quod ad factum spectat, multo aliter habetur.

Quoniam igitur Ecclesia, quæ nihil aliud est quam ipsa revelatio carne et sanguine prædita, eamdem hanc integram, vivam ac perspicuam in se gerit, quidni prohiberetur ne in explananda Scriptura ab illa vel latum unguem quisquam recedat? Quin etiam nonne ratio postulat ut, si quando in scriptis quibuslibet exponendis offendatur locus obscurior ac intellectu difficilior, evocentur, si quæ sint, loca magis perspicua ex quibus lux tenebris accedat? At vero quam plurima, ut vidimus, in sacris litteris occurrunt doctrinæ revelatæ capita subobscurius tradita, sæpius uno alterove vocabulo subindicata, quæ quoniam plana et aperta in Ecclesia reperiuntur, efflagitat ratio ut Ecclesia adeatur, atque ad ejus doctrinam velut ad lydium lapidem illa expendantur.

Præterea ab ipsa Ecclesia ortum ducunt Scripturæ : sive enim veteris sive novi Testamenti libros spectes, ii omnes a sanctæ istius societatis

(1) *Phædr.* 275, Steph.

quæ Dei vices in terris supplebat membris auctoribus sunt profecti, eidemque concrediti, atque ab ea tamquam *sui* conservati ac perpetuo habiti; proinde ab Ecclesia, quæ nunc temporis christiana dicitur et est, auctore conditi sunt ejusdemque semper, utpote auctoris, perstiterunt. Quod quidem et ex alio capite verum demonstratur. Quid igitur? Sacrorum librorum auctor primarius quis est nisi Spiritus sanctus, cujus verba et eloquia sunt? At Ecclesiam esse Spiritus Verbi incarnati adeoque et Spiritus Patris vivum ac intemeratum organum supra monstravimus. Ubi ergo Scripturam interpretatur Ecclesia, ipse est Spiritus sanctus qui hujus ore scriptum a se dictatum explicat atque aperit; quo quid potius rectiusve cogitari potest?

Quapropter quomodocumque rem consideraveris, divinæ revelationis decreta quæ in Scripturis occurrunt nihil demum aliud esse probantur quam peculiaria quædam doctrinæ capita ab Ecclesia ibi prodita : quid ergo mirum eam vetare ne illa intelligantur contra sensum quem iisdem subjicit? Sua sunt et a se profecta, cur ergo *a priori* non falsam haberet quamvis interpretationem suæ repugnantem? Dubio procul hæc agendi ratio ab ipsa rerum natura sponte fluit eamque necessario inire debet Ecclesia (1).

Quæ porro omnia si probe teneantur, liquido sane constabit canonem illum exegeseos a Tridentina synodo statutum, quemque tot et tantis criminationibus exagitare solent adversarii, adeo christianæ religionis indoli ac principiis consonare, ut repelli nequeat quin perturbetur convellaturque totus christianismi organismus. Omnia quam arctissime cohærent in divino instituto, et ubi quidpiam e loco dimovere tentaveris, reliqua etiam dissolveris; atque hinc nisi regulam istam admiseris, Ecclesiam rejicias oportet; qua sublata corruit christianismus, qui deinceps in antiquorum systematum philosophicorum catalogo sit censendus. Inde intelligitur cur protestantes ipsi eamdem illam viam diu tenuerint, prohibentes ne quis contra symbolorum ac confessionum fidei doctrinam Scripturas interpretari auderet. Profecto hac ratione aperte secum pugnabant nullumque omnino jus talia statuendi ipsis erat; at vero Ecclesiæ speciem, veritate relicta, servandam sentiebant et per eam christianismum qualemcumque tenendum, quod alia via fieri non posse bene noverant. Sic Buddeus professorum Universitatis litterarum Ienensis primam de sacra Scriptura explananda regulam refert his verbis : « *Singuli bene perspiciant, ut expositio omnium locorum cum analogia fidei et confessionibus Ecclesiæ nostræ conveniant* (2). » Quæ regula idem

(1) Quocirca recte ait Mœhler : « Ainsi l'obligation que l'Église impose aux siens, de retrouver dans l'Écriture ses dogmes et sa morale, est fondée sur la raison, sur l'essence même des choses. » *Symbol.* ch. V, § 42, tom. II, p. 45.

(2) *Isagoge hist. theol.* p. 1354.

sane pandit principium quod sancivit Tridentina synodus; id tantum discriminis interest, quod catholici illud decernentes sibi cohærent jureque utuntur suo, protestantes vero et sibi et historiæ belle mentiuntur.

Verum statim occurrunt rationalistæ qui cum plerisque protestantium clamitantes catholicum istud principium ludibrio vertant et scientiæ inimicum dicant. Videamus igitur. Antequam tamen ad eorum criminationes expendendas aggrediamur, pauca circa sensum canonis Tridentinæ synodi adnotanda sunt, ne forte germanus illius intellectus adulteretur atque ita catholicis objiciantur quæ in illos minime quadrent.

Primum quidem aperte declarat sancta synodus *in rebus* tantum *fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium*, nefas esse Scripturas interpretari *contra eum sensum* quem tenuit et tenet Ecclesia; in cæteris namque Ecclesiæ, qua talis, *sensus* nullus est, quod ea ad scopum quem Christus in illa constituenda sibi præstituit non spectant. Hinc jam liquet quam latissimum campum interpreti lustrandum manere.

Quod autem ad illud attinet quod adjicit synodus, vetans ne quisquam, *contra unanimem consensum Patrum Scripturam sacram interpretari audeat*, animadvertendum est unanimem hunc Patrum consensum ipsius Ecclesiæ sensum referre, propterea que unum ac idem cum Ecclesia esse; dum enim Patres, ut testes, unanimi ore caput quoddam fidei aut morum tradunt omnes, quoniam Ecclesia non est quid abstractum, sed vere concreta atque hominibus constans, Patres, ubi unanimes sunt, ipsius Ecclesiæ sensum aperiunt ac declarant; quo fit ut qui unanimi eorum consensui refragaretur, contra ipsum Ecclesiæ sensum faceret. Quo constituto, ad rem inceptam progredimur, comprobaturi regulam hanc quam descripsimus non modo disciplinæ exegeticæ non obesse, sed eidem plurimum prodesse et tamquam principium ac primum canonem omnis veræ ac germanæ exegeseos habendam esse.

Quæ quidem thesis non multa eget oratione. Quid enim? In eo versantur adversariorum criminationes, quod huic obsequuti regulæ catholici theologi præjudiciis ducantur ad quorum normam Scripturæ sensum accommodent, parum solliciti an re vera intellectus ille sacrarum litterarum verbis sit subjiciendus nec-ne. Inde vero planum est primum ante disputationem adversarios ponere nihil vinculi intercedere Scripturam inter et Ecclesiam, sed res plane diversas esse atque a se invicem longe dissitas, et idcirco utriusque doctrinam pari ratione discrepare posse qua forte dissentirent Corani et Ecclesiæ sensa. Ubi enim firma consistunt quæ de mutua Scripturæ et Ecclesiæ necessitudine constituimus, objurgatio ista ridicula et absurda cernitur, nec ullo jam fundamento nititur, quum eadem sit utriusque doctrina. Quocirca ut jure merito convicium istud nobis objiciant, ostendant prius necesse est Scripturis et Ecclesiæ nihil commune esse, Ecclesiam a Christo nullam fuisse conditam:

quod si præstiterint, sponte sequetur christianismum non nisi inventum humanum esse, cui, forte ut Platonismo Aristotelismove, aliqualis observantia debeatur. Quod si hoc tandem, ego facile commonstravero nihil certi ac firmi in universa historia occurrere, omnia in dubium vocanda, scepticismum esse solam philosophiam prudenti viro ineundam, nosque, ut dubius somniabat Cartesius, a malo genio forte in perpetuum errorem invitos abduci. Si enim inter hominum placita referendum esse christianismum fuerit ab aliquo probatum, cum Richardo a sancto Victore prædicare non verebor : « Nonne cum omni confidentia Deo dicere poterimus : Domine, si error est, a teipso decepti sumus; nam ista in nobis tantis signis et prodigiis confirmata sunt et talibus, quæ non nisi per te fieri possunt (1) ».

Quoniam ergo inconcussa manet christianismi divinitas adeoque et ipsius Ecclesiæ, disciplinæ exegeticæ offendiculo esse nequit superius memorata regula; quin imo si, ut monstravimus, quæ in Scripturis occurrunt divinæ revelationis capita ab ipsius Ecclesiæ, quæ eadem magis perspicua retinet ac perpetuo in se gerit, *conscientia* sunt profecta, quis negaverit inde exordium veræ exegesi sumendum ut accurate teneatur Ecclesiæ doctrina, quæ viam interpreti sternat eumque ad germanum Scripturæ sensum assequendum ducat? Quis non fateatur illam demum veriorem et accuratiorem fore interpretationem quæ Ecclesiæ decreta quam maxima fide referat (2)?

Sane mihi sæpius mecum ipso volventi catholicismi principia eademque cum mentis humanæ legibus conferenti id inter alia maximam admirationem movere consuevit, quod qua ratione in rebus universe explorandis a natura nobis insunt quædam generalia decreta quibus *sensus communis* nomen est inditum, eadem quoque in rebus divinis ex Ecclesiæ instituto quædam habemus capita quibus veluti constat sensus communis in rebus istis altioribus indagandis. Idem ordo hac sane ratione in utroque genere conspicitur, quod idem utriusque auctor Deus. Notiones quas exhibet sensus naturæ communis fundamentum ac necessarium exordium cujusvis scientiæ habentur, nec ullo pacto in dubium ab aliquo vocari possunt quin hoc ipso

(1) *De Trinitate*, lib. I, c. 2.

(2) Quod quidem præclare more suo expressit Mœhler his verbis : « L'Église a reçu sa doctrine de la bouche même du Sauveur, et l'Esprit saint l'a gravée dans sa conscience. Donc l'Église et l'Écriture enseignent les mêmes vérités. Or quelle en est la conséquence? C'est que l'exégèse la plus fidèle, et la plus parfaite par conséquent, est celle qui reproduit les dogmes et la morale de l'Église. *Ainsi, en imposant à ses membres l'obligation de retrouver dans l'Écriture ses divins enseignements, la société catholique proclame la première règle de l'exégèse scientifique.* » *Symbol.* ch. V, § 42, tom. II, p. 51-52.

stultus prodatur; et porro quia verissimæ sunt ac rerum naturæ consonæ, lux inde oritur quæ mentem deinceps in disciplinis investigandis illuminet et ad quam perpetuo respiciat : pari ratione in catholicismo occurrunt dogmata quæ inficiari aut dubia ponere nefas decernitur; ab his disciplinarum divinarum principium ducitur, eaque, utpote Veritatis oracula, splendescentis facis instar apparent, quam perpetua manu tenet litteratus theologus, quo viam qua securus gradiatur illustret atque ita ad abditiora citra offendiculum pertingere possit. Necesse est enim ut in rebus istis divinis *sensus supernaturalis communis* adsit a quo proficiscatur scientia, cuique innitatur; quod si ille defuerit, absit quoque oportet vera disciplina, quandoquidem fundamento destituatur ac veluti in aere pendula hæreat. Verum hæc protestantes ac rationalistas latent, qui illic tantum scientiam conspicere videntur ubi omnia effutiendi habetur licentia, quod reapse scientiæ ruina ac exitium est.

Desinant ergo querelas edere quod effrænatam in varios sensus Scripturas contorquendi licentiam damnat Ecclesia; desinant eam ut acerrimam scientiæ hostem exhibere, quod quædam doctrinæ capita in dubium verti vetat, jubetque nihil a Scripturis elici quod decretis istis refragetur; inde enim nequaquam læditur scientiæ libertas, exegesis autem multum adjuvatur, dirigitur, fulcitur. Firma vero consistat Tridentinæ synodi regula eaque habeatur ut omnis disciplinæ exegeticæ principium et finis. Simul atque ab illa receditur, periit germana exegesis et omnia in Scripturis fluctuare incipiunt, idque eo magis conspicuum fit quo longius ab ea desciscatur. Verum enimvero lex interpretationis illi opposita, quæque ex protestantismi methodo ultro oritur, a rationalistis autem tamquam disciplinæ exegeticæ unice accommodata elatiori voce prædicatur, germanæ scientiæ penitus repugnat, et si in usum plane fuerit adducta, de medio prorsus tollatur necesse est scientia exegetica. Quod ut omnibus facile pateat, probe ob oculos habendum est quid scientiæ nomine veniat.

Profecto inquisitiones circa linguarum sacrarum peculiarem indolem, structuram, syntaxim; historiæ antiquæ investigatio; morum, consuetudinum aliorumque id genus diligens indagatio multum ad exegesim illustrandam amplificandamque faciunt; at ex his tamen necdum oritur scientia eo nomine digna; necessaria quidem illa sunt ut esse queat scientia, sed minime sufficiunt. Quid enim? Scientia nulla est nisi variæ quibus constat cognitiones apte inter se nectantur colligenturque et ad rei cujus scientia sit indolem plane accommodatæ sint. Hæc aperta certe sunt nec ab ullo in dubium vocari possunt. Scientia enim res quas explicet ipsa non condit aut creat, sed eas prout sunt accipit et secundum suam ipsarum naturam explanare studet : scientia est ipsarum rerum vivum speculum easque quam maxima fide referat oportet; alioqui non jam scientia sed inane somnium fit. Quod si hæc firma sint, quis

non videat eam quam tantopere venditant rationalistæ theologi interpretationis regulam cum scientia exegetica pugnare, neque hanc cum illa consistere posse? Quæ nempe sit Scripturarum indoles, quæ earum natura supra constituimus; liquet autem huic nequaquam convenire methodum illam qua deficiente *sensu christiano* omnibusve dogmatibus ante acceptis pro totidem præjudicatis opinionibus habitis, animo christianæ fidei experte Scripturas adit ac interpretatur theologus.

Quamobrem locupletissimam sane eruditionem in explanandis sacris litteris prodere queunt rationalistæ, et ego quidem libenter fateor ex ipsis plurimos multa doctrina exegetica conspicuos existere atque ita veræ exegeseos causam non parum juvare; at quoniam tamen deest fundamentum, scientia proprie dicta inde constare nequit.

Et vero sæpius, ob falsissimam illam a qua exordium ducunt hypothesim, omnia pene in Scripturis perturbant rationalistæ, nec earum sensum assequi valent : quin imo, quoniam arbitrantur nihil supernaturale fieri posse, sicubi vaticinium præsertim offendunt quod, si probaretur prout illud exhibere videtur Scriptura, sententiam ipsorum convelleret, mirum in modum sacra verba torquere et cruciare solent quo vim eorum propheticam elevent ac tollant; atque ubi id aliqua veri specie præstari potest, semiticorum idiomatum naturam adulterare non verentur ut suo rationalistico systemati facilius consulant, hacque ratione falsis præjudiciis indulgentes sacræ exegeseos præcepta penitus pervertunt.

§ 3.

DE VERO SCRIPTURARUM USU ATQUE EARUMDEM UTILITATE.

Hactenus vidimus quam arctissimam necessitudinem intercedere Ecclesiam inter et Scripturam, hancque ab illa nullo pacto sejungi posse, quandoquidem sine illa nec fuisset, nec ad nos pervenisset, nec germanus ejus sensus perciperetur. Quibus constitutis, restat ut aperiamus quis demum sit in ipsa Ecclesia, cui tam indivulso nexu cohærere probantur, verus Scripturarum usus, quæ earum utilitas. Prius tamen quam argumentum hoc pressius versemus, quædam breviter statuenda occurrunt ex ante disputatis ultro consequentia, quæque deinceps dicendis viam sternant.

Quoniam igitur Scriptura adeo ab Ecclesia pendet, ut hac non admissa illa intereat, ordo rerum postulat ut theologi qui secundum christianismi indolem ac principia disserere velint, ea quæ ad sa-

cras Scripturas attinent statuere ac enucleare non contendant antequam Ecclesiæ auctoritas fuerit constituta; alioqui in promptu est eorum disputationem necessario mancam ac imbecillem fore, quippe quæ fundamento destituatur. Equidem verum est sæpe, in gratiam adversariorum solis Scripturis fidem habentium, in disputando viam aliam iniri posse; sed hic loquimur de methodica expositione christianismi (qui cum catholicismo unum idemque est), prout ea a theologis qui peculiare aliquod argumentum non agunt est exhibenda. Omnibus autem, ni fallor, facile patet eam tantum cum principiis supra constitutis cohærere rationem, quæ primum ea quæ Ecclesiæ sunt definiat ac demonstret, postea vero quæ Scripturæ.

Et porro ubi de Scripturis interpretandis agitur, probe itidem ob oculos habendum eas, utpote ab Ecclesia pendentes, nequaquam esse seorsum et veluti ab hac avulsas explanandas; verum semper ab Ecclesiæ doctrina et sensu *traditionali*, quem in se gerit, lux petenda est qua Scripturæ dicta illustrentur : nisi illud feceris, cum methodo vere christiana pugnabis, atque hac ratione crebro continget ut gravissima Scripturæ loca ad rem theologicam multum conferentia, eademque alias firma ac satis perspicua, subobscura et infirma fiant, nec quidquam pene virium habere videantur. Ab hac igitur via, quæ protestantismi est et rei naturæ maxime adversatur, summo studio cavendum est.

His vero notatis expeditum jam est qua ratione solvenda sit ea quæstio : an ex Scripturis comprobanda sit Ecclesia? Quum enim Scripturæ ipsi Ecclesiæ innitantur, fieri nequit ut ex illis hujus auctoritas trahatur; alioqui in circulo vitioso versaremur. Quod quidem ne perperam intelligatur, quædam hoc loco animadvertenda ducimus. Qui rem sedulo perpenderit, compertum mox habuerit Ecclesiam, quemadmodum per se et nullo interjecto medio cognoscitur ac cuique in mundo patens et perspicua cernitur, ita quoque per se approbari ac certam demonstrari. Quid igitur? Ecclesia non est emortuum quoddam cadaver alicubi terrarum reconditum, aut quædam spiritualis tantum societas oculorum aciem penitus effugiens; sed est externa ac visibilis societas, vivo et semper actuoso organismo prædita, quæ inde a Christo Domino ad hanc usque ætatem unam et eamdem vitam perpetuo vivit, quolibet ævo eadem permanens formamque externam itidem exhibens.

Quod si ita est, quis non videat necesse esse ut ejusmodi societas in se gerat suæ constitutionis ac veritatis argumenta? Ecclesia scilicet quæ nunc est, ut veram se esse comprobet, id tantum agere debet, ut, superiora sæcula repetens suique ipsius organismi haud interruptam successionem commonstrans, ad Apostolos tandem et Christum conditorem suum perveniat; atque hac via, factis publicis, qualibet ætate conspicuis, apparet eam a Christo originem trahere adeoque divinam esse. Quocirca

testimonium hoc quod de se perhibet Ecclesia firmissimum est et ab omni ambiguitate aut dubio alienum, quia testimonium est omnium sæculorum, factis publicis cuiquam obviis nixum, quod idcirco rejici nequit quin tollatur omnis fides historica.

Verum in illa christiana societate quam Ecclesiam dicimus, quæque quovis sæculo haud intermissa episcoporum serie eadem cernitur, occurrunt scripta monumenta antiquissima, quæ, sive divinitus inspirata habeantur, sive non, in ejusdem societatis divinam originem testandam advocare licet. Scripta hæc quidem, nisi extitisset illa societas, nec ipsa fuissent nec nobis satis firma auctoritate prædita innotuissent; sed quoniam, quod ad rem spectat, adest societas ista, maximam inde firmitatem trahunt et talem certe qualem nulla alia scripta sibi vindicant; nullus enim liber antiquus tot et tantis testimoniis fulcitur, quippe quum sacra christianorum monumenta publicæ, haud interruptæ, rite organizatæ, ac illa tamquam sua summo studio custodientis societatis perpetuo testimonio nituntur. Quæ quum ita se habeant, planum fit theologo licere argumenta e Scripturis ducere quibus Ecclesiæ auctoritatem confirmet illustretve. At probe notandum nos ubi id agimus nequaquam in eodem statu versari ac protestantes, quod penitus diversa tuemur principia; si enim verus foret protestantismus, sique methodus quam jactat a Christo fuisset inita, societas nulla esset quæ Scripturarum auctoritatem hac ratione firmaret. Itaque Scripturas ab Ecclesia tunc etiam minime distrahimus; sed etiamsi non spectarentur ut divinitus inspiratæ, inde jure merito probationes ducimus quemadmodum et ex aliis monumentis quæ in eadem Ecclesia certa ac indubitata conspiciuntur : quamvis enim societas illa christiana nondum divina haberetur, sed *humana* tantum, testimonium ejus de Scripturarum authentia et fide historica firmissimum est, adeoque ex ipsis ita constitutis promere deinceps licet argumenta quibus *divina* approbetur Ecclesia.

Atque hoc modo theologi catholici solent Scripturis uti ad comprobandam *divinam* Ecclesiæ auctoritatem : eas nempe sumunt tamquam monumentum indubitatum (non respicientes ad divinam ejus inspirationem, quam ex divina Ecclesiæ auctoritate constare dicunt), ut inde argumenta eruant quæ Ecclesiæ divinitatem statuant. Quod certe optimo jure fieri potest. At Scriptura tamen vel hac ratione considerata nequaquam habenda est ut præcipuum, multo minus ut unicum divinæ indolis Ecclesiæ fundamentum, bene autem ut fons *peculiaris* probationum quo rem ex multis aliis capitibus jam statutam itidem firmare liceat. Atque is tandem erit rectus ac germanus Scripturarum usus. Quo posito quæstionem principio hujus paragraphi institutam penitius attingamus.

Plerumque accidit ut, quum Ecclesiæ defensores cum iis hæreticis agunt qui universam christianæ religionis œconomiam in Scripturis collocant omnemque externam ac vivam auctoritatem labefactare student,

ipsi, contrariam adversariis viam ineuntes, tantopere Ecclesiæ auctoritatem extollere ac ob oculos omnium ponere curent, ut sacrarum Scripturarum momentum minoris quam par est pendere videantur. Quoniam hæretici rerum ordinem funditus perturbant, eumque Scripturæ locum tribuunt qui ipsius esse nequit, eo nervos omnes contendunt theologi catholici ut commonstrent nequaquam hunc esse posse, quem illi venditant, Scripturarum usum; quin et si ea ratione adhibeantur, nihil amplius in religionis negotio virium habere : quod quidem verissimum est ; sed nisi, exploso abusu, simul usum et utilitatem exhibeas, nimium illas deprimere ac elevare videris; et porro disputatio minus etiam completa existit, quippe quum valor Scripturæ *negativus* solum exponatur, non vero *positivus;* seu quis esse nequeat ejus usus tradis, non quis usus esse possit. Quamobrem ut melius procedat disputatio, necesse est ut paucis videamus quis demum in christiano instituto locus Scripturis sit tribuendus.

Quamquam, ut ex ore D. Irenæi excepimus, omnino necessaria non fuerit Scriptura, plurimas tamen affert utilitates multumque christiano instituto inservit. Enimvero qui omnia numero, pondere et mensura agit Deus nihil præstat disponitve quin sapientissimis rationibus moveatur; et idcirco quod providit ut Scripturæ sacræ ederentur, inde jam eruitur non supervacaneas esse, sed multum momenti ipsis inesse. Quid igitur? Fidelibus et credentibus datæ sunt sacræ litteræ, iis ergo solis usui esse debent; quibus quidem prodesse possunt quam plurimum. Doctrinam tum circa dogmata tum circa mores instituendos ante acceptam illustrant ac in animo altius imprimunt; et quia divinitus inspiratæ sunt, virtutem quamdam cœlestem exhibent quæ et ad consolationem et spiritualem fidelium profectum non parum faciat. Porro plura in Scripturis occurrunt quæ vel alias ignota forent vel non integra aut certe non ita perspicua ad nos pervenissent; quæ licet ad integritatem eorum doctrinæ capitum quæ *dogmata* dicimus non spectant, pleniorem tamen horum notitiam juvant, aut ad fovendam pietatem conferunt aut divinam religionis historiam illustrant; idque tum de veteri tum de novo Testamento planum omnino apparet.

Imo vero aliqua ratione, spectato instituto christiano prout *reapse* a Deo conditum fuisse cernitur, necessaria dici potest Scriptura; nam Ecclesia quidem eum in finem constituta est ut omnia quæ divinæ revelationis sunt integra ac illibata custodiret eademque populos doceret; sed quis dixerit Deum scopum hunc Ecclesiæ præfinientem non voluisse ut ad illum assequendum Scripturæ ipsi forent necessariæ, et ideo curasse ut eidem traderentur? Quo pacto Scripturæ habendæ essent tamquam peculiare quoddam medium disponente Deo Ecclesiæ datum, ut in perpetuum divinæ revelationis integerrima custos ac tutissima populorum magistra consistat. Quidquid sit, procul dubio multo perfectior, ut om-

nibus patet, sacra religionis œconomia est quam si abessent Scripturæ; quo fit ut maximi saltem momenti esse conspiciantur. Nempe sacræ litteræ ab Ecclesia sejungi nequeunt, sed neque hæc ab illis est distrahenda : pars sunt organismi istius divini qui numeris omnibus expletus atque absolutus existit, cujusque membra omnia arctissimo nexu cohærent et consociata sunt.

Et vero plurimus in Ecclesia quotidie cernitur sacrarum Scripturarum usus. Præterquam quod enim eas theologi in testimonium divinitatis christianismi, cujus præparationem et stupenda exordia referunt, tamquam historica monumenta certissima jure merito advocant, atque inde, ut diximus, argumenta etiam eliciunt quibus Ecclesiæ auctoritatem confirment; multa quoque ex illis, ut divinitus inspiratis, depromunt rei theologicæ illustrandæ maxime idonea. Duplici autem potissimum modo theologo inservit Scriptura : vel in exponendis et probandis particularibus doctrinæ capitibus, vel in refellendis hæreticorum erroribus : primo quidem singulorum pene dogmatum quæ tenet ac tradit Ecclesia probationes e Scripturis petunt; quum enim jam bene nota est christiana doctrina, maximam partem in sacris libris vel conceptis verbis enuntiata vel subindicata saltem eadem agnoscitur, adeoque hinc sat firma ducuntur argumenta quæ illam stabiliant enucleentve. Eam ob causam nonnulli Patres adeo Scripturam extollunt tantique facere solent, ut non omnia modo fere divinæ revelationis decreta ex illa eruant et comprobent, sed et interdum ita agere videantur perinde ac si ea homini christiano in universum sufficeret; atque inde factum est ut protestantes, talia apud quosdam Patres offendentes, colligerent ex horum sententia Scripturas sibi permissas omnibus sufficere, minime vero opus esse Ecclesiæ auctoritate : adversarios namque plane latet christianus organismus, et idcirco quæ nobis tam aperta optimeque cum catholicis principiis cohærentia sunt Patrum dicta, ipsi penitus perturbant ac perperam intelligunt. Hæc Scripturarum laus, isque usus accurata et justa omnino sunt, dummodo suus ipsis tribuatur locus. Ubi tamen hac ratione e Scriptura argumentatur theologus, probe semper sibi conscius sit oportet varia illa doctrinæ capita firmitatem suam proprie ac primo non e sacris litteris trahere, bene vero ex Ecclesiæ auctoritate, propterea que eum istarum finem esse ut decreta jam aliunde certa confirment aut explicent; ad quod nisi diligenter ac perpetuo attenderet theologus, non recte procederet disputatio, atque interdum aliquid detrimenti caperent quædam doctrinæ capita; quin et enervaretur vis quæ reapse inest adductis Scripturæ locis. Verum ubi idoneus ordo tenetur, variaque Scripturæ loca explanantur quoque, ut res postulat, ad normam sensus Ecclesiæ *traditionalis*, bene se habent omnia, et ex illis plurimum juvatur disciplinæ theologicæ causa.

Porro Scripturis etiam sæpius jure merito utitur theologus in refutan-

dis hæreticis. Quum enim ad Scripturas provocare consueverint divinamque harum auctoritatem summa observantia se venerari glorientur, quandoque expedit ut ex ipsis ad quas appellant Scripturis refellantur; nam quamvis, ut aiebat Tertullianus, haud difficulter sine Scripturis probari posset eos ad Scripturas non pertinere, interdum tamen satius esse potest in his certamen constituere vel omnino vel partim saltem. Hinc vidimus S. Augustinum adversus Donatistas agentem Scripturam litis judicem statuentem atque ex illa rem plane conficientem (1). Via hæc nonnunquam et brevior et ad adversariorum utilitatem profectumque accommodatior apparet; ac proinde eam tunc inire debet theologus cum eodem Augustino dicens: « quoniam cum iis nobis res est, qui omnia contra ordinem, et sentiunt, et loquuntur, et gerunt... morem illis geram : quod fateor in disputando vitiosum esse suscipiam. Delectat enim me imitari quantum valeo mansuetudinem Domini mei Jesu Christi, qui etiam ipsius mortis malo, quo nos exuere vellet, indutus est (2). »

Imo vero nihil vitii habebit ejusmodi disputatio, dummodo recte adhibeatur, nec e mente excidat eam iniri, non ideo quod Scriptura unicum aut etiam primarium dogmatum fundamentum existimetur, sed tantummodo in gratiam adversariorum falsæ huic opinioni inhærentium; ita scilicet ut, si in disputando opus fuerit, ad generaliora principia concertationem revocare liceat.

Adhæc juvat sæpius quas proterve in suî præsidium advocant Scripturas in medium adducere ad hæreticorum audaciam confringendam, ut pateat nihil nobis ex hoc capite, ut insulse calumniantur, pertimescendum esse, eos autem nihil cum doctrina ibi tradita commune habere. Quandoque enim satis non est hæreticorum errores ex demonstrata divina Ecclesiæ auctoritate *a priori* et *sine retractatu doctrinarum*, ut cum Tertulliano loquar, profligasse et prorsus sustulisse; cavendum quoque, ut cum eodem eximio scriptore dicam, *ne compendium præscriptionis*, *ubique advocatum*, *diffidentiæ deputetur*. Illustrior ergo ac plenior exsistit catholicæ veritatis demonstratio, si, postquam rite fuit constituta Ecclesiæ divinitas, qua in universum convellantur adversariorum placita, singulatim etiam, prout res postulaverit, e Scripturis confutentur; nostræ enim sunt, nec multo opus erit molimine ut appareat nihil in ipsis inesse quod nobis adversetur hæreticisque ulla ratione faveat. Probe tamen in disputando præ oculis semper habendum quod modo notavimus, ut omnia recto ordine procedant.

His autem de utilitate et præcipuo Scripturarum apud germanos

(1) *De unitate Ecclesiæ.*

(2) *De moribus Ecclesiæ catholicæ et de moribus Manichæorum libri duo;* lib. I, c. II, n. 3.

Christi discipulos usu brevi compendio delibatis, necesse non est varias protestantium hac in parte criminationes persequi atque explodere; ex hactenus enim constitutis facili negotio quisque poterit earum insulsitatem deprehendere. Catholici, si fides adversariis habeatur, Scripturas flocci pendunt, easdem pertimescunt earumque usum in angustiores fines contrahere contendunt! Quid, obsecro, nobis a nostris metuendum, o peregrini et extranei homines? « Quid, ut etiam Tertulliani dictis utar, contrarium nobis in nostris (Scripturis)? Quid de proprio intulimus, ut aliquid contrarium ei, quod esset in Scripturis deprehensum, detractione vel adjectione vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt Scripturæ ab initio (1). » Quanti vero Scripturas faciamus satis superque ostensum est; at quanta observantia eas prosequantur adversarii docuit historia.

Catholicam autem Ecclesiam hac præsertim ætate potissimum criminari solent, quod non omnibus promiscue fidelibus Scripturam legendam tradat, quos hac ratione divino illius cibo summa injuria defraudet (2). Verum liquet eam exprobrationem ex uno protestantismi principio fluere; quo sublato penitus et ipsa exploditur. Etenim si vera ac firma sint quæ supra disseruimus, nihil omnino divini cibi deesse potest Christi fidelibus; quidquid ad vitam christianam æternamque salutem confert in Ecclesia ipsis adest, et omnia quæ in Scripturis suis in filiorum utilitatem cedere posse novit, tenerrima mater ipsa inde depromit confectamque escam per pastores suis peramanter suppeditat. Nihil igitur necesse habetur ut singuli christiani Scripturas proprio marte versent, indeque cibos eruant quibus sustententur; id ex absona tantum protestantium methodo consequeretur, cujus si firmitatem probaverint, tum solum aliquid fundamenti inerit conviciis istis quibus nos afficere consueverunt. Quamdiu consistit catholica methodus, quoniam Scriptura fidelibus minime necessaria est, Ecclesiæ est judicare an et quousque variis temporibus ipsis utilis esse queat; ejus est propterea decernere utrum magis expediat ut illius usus fidelibus permittatur vel contra prohibeatur. Nisi hoc jure optimo præstare posset Ecclesia, mancus foret christianus organismus, secum pugnaret, nec ullo pacto divinum proderet conditorem. Sed de his hactenus; ad postremam hujus operis quæstionem, quæ de traditione est, illustrandam properamus.

(1) *De præscript.* c. 38.

(2) Ad convellendas hac in parte protestantium calumnias eruditissimum opus nuper edidit Cl. Malou, Lovaniensis hujus academiæ tunc professor, nunc autem ecclesiæ Brugensis episcopus. Opus inscribitur : *La lecture de la sainte Bible en langue vulgaire;* Louvain, 1846.

CAPUT V.

DE TRADITIONE ET TRADITIONIBUS.

Si institutæ disputationis finibus omnino contineri vellemus, hic paucis tantum enucleanda foret hæc quæstio : an præter ea quæ in Scripturis sacris occurrunt, quædam quoque agnoscenda sint revelationis christianæ capita viva solum voce tradita et conservata? Quæ quidem quæstio ex ante constitutis jam fere solvitur. At quoniam ubi de traditione a theologis disceptatio initur, diversa nonnunquam permisceri nobis videntur, unde aliquantum confusionis et obscuritatis oriatur atque inde etiam vis argumentationis aliquantulum elevetur, ideo rem paulo altius repetendam ducimus, quasdam animadversiones subjiciendo quibus argumentum hoc in universum magis illustretur.

Vox illa *traditio* varios apud antiquos sortita est intellectus; hic autem de eo tantum traditionis sensu agitur quo apud græcos significabat ea quæ a patribus erant accepta (1). Porro duplicis generis esse poterat ejusmodi traditio : vel enim ad priscam doctrinam, vel ad facta historica spectabat (2). Simili ferme ratione antiqui Patres traditionem historicam et dogmaticam commemorant, prout ea historiæ sacræ facta aut divinæ revelationis decreta respicit; et duplici illi traditioni etiam adnectitur illa quæ circa sacros ritus aut disciplinam versatur. Verum hoc loco, quoniam de divina tantum revelatione sermo est, de solis hujus decretis loquimur, adeoque traditionem consideramus quatenus quidpiam ex illa revelatione ortum continet communicatve.

Jam vero duplici respectu argumentum hoc ita definitum spectari potest et reapse spectandum est : vel enim traditio habetur tamquam ipsa veritatum a Christo Domino revelatarum continua ac viva voce præstita *communicatio;* vel non jam communicatio, sed res communicata intelligitur, atque hic notat ipsa decreta Scripturis non mandata, sed viva voce conservata et tradita. Priori sensu accepta, traditio *formalis* ac *subjectiva* dici potest, posteriori autem, *materialis* et *objectiva;* rursum formalis illa, quotquot fuerint communicata capita, semper singulari numero traditio (η παραδοσις) est dicenda, dum contra, si *objective* spectetur, ubi plures numero occurrunt ejusmodi veritates traditæ, non jam *traditio*, bene vero *traditiones* appellantur. Quocirca argumentum

(1) Πατροπαραδοτα ; Cf. Dionys. Halicarn. *Antiq. Rom.* lib. V, ch. 48.
(2) Creuzer, *Symbolik*, I th., p. 87.

bifariam tribuendum ducimus, ita ut primo de traditione, deinde vero de traditionibus sermonem simus instituturi.

§ 1.

DE TRADITIONE.

Ubi non in unius, sed in omnium aut etiam plurimorum hominum gratiam fit revelatio divina, diu permansura, ejus decreta per homines hominibus tradantur necesse est, ut hac ratione iis ad quos data est innotescere possint. Hinc Apostoli, qui divinam doctrinam a Christo revelante acceperant, illam, ut vidimus, alios docuere, ac nonnullos elegerunt qui et ipsi in posterum eamdem traderent, et ita porro. At eæ veritates divinæ, quas suscipiunt homines, brevi altas in horum animo radices agunt, ibi vivunt, vim quæ ipsis inest quam maxime actuosam exerentes atque intellectum sensumque christianum ac divinum efficiunt; quæ, quoniam supra exposita fuere, nunc paucis commemorasse satis sit, quatenus inde lumen accedat illustrando argumento quod in præsentia versamus.

Hoc respectu considerata traditio sæpius nobis obvia fuit apud Patres, qui plerumque eo nomine donant communicationem illam revelatæ doctrinæ ab Apostolis eorumque successoribus factam, vel etiam intelligentiam inde in christianorum animo ortam. In memoriam præsertim revocentur quæ ex Irenæo et Vincentio Lerinensi excitavimus, qui ambo ea ratione traditionis nomen perpetuo fere usurpant. Sic, ut unum tantum locum ex S. Irenæo iterum in medium adducamus recordationis juvandæ gratia, de gnosticis verba faciens eximius Pater hunc in modum loquitur : « Cum autem ad eam iterum *traditionem*, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur *traditioni*, dicentes se non solum presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem, Apostolos autem admiscuisse ea quæ sunt legalia Salvatoris verbis (1). »

Irenæo igitur traditio idem est ac ipsa christiana doctrina ab Ecclesiæ magisterio conservata et communicata; quod quidem passim prædicat. Si vero eadem hæc doctrina tradita consideretur prout in Ecclesiæ membrorum animo insculpta vivit, exsistit sensus ille quem christianum diximus, quique proprie *subjectivæ* traditionis nomine est appellandus. Illud est quod Vincentius *ecclesiasticam intelligentiam* vel *ecclesiasticum et catholicum sensum* (2) nominat.

(1) *Contra hæres.* lib. III, c. 2.

(2) *Commonitor.* c. 2; Cf. c. 1. Apud Eusebium *Hist. eccl.* lib. V, c. 27, dicitur

Atque ejusmodi traditionem ut plurimum commendant cæteri quoque Patres.

Jam vero in promptu est traditionem hanc non solum complecti ea doctrinæ capita quæ in Scripturis non conspiciuntur, sed omnino omnia quæ christianæ revelationis sunt : nihil interest utrum decretum quodpiam scripto divinitus inspirato proditum fuerit necne, quidquid a Christo Domino Apostolis est revelatum, id ad traditionem spectat. Hinc ipsa Scripturæ interpretatio ad eam velut ad lydium lapidem est exigenda, et si qua ab illa desciverit, ea ut falsa ac adulterina est explodenda. Quod præclare aperuit Vincentius his verbis : « Quia ... Scripturam sacram, pro ipsa sua altitudine, non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur.... idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum *ecclesiastici et catholici sensus* normam dirigatur (1). »

Liquet autem traditionem sic acceptam nihil demum differre ab ipsa Ecclesia, quippe quum exhibeatur tamquam integra ac illibata Christi doctrina a divino magisterio conservata traditaque : Ecclesia enim nihil aliud est quam traditio divinitus organizata. Quo posito consequitur pari ratione necessariam prædicari traditionem ac Ecclesiam, propterea que, ubi cum protestantibus nobis res agitur, illi constituendæ maxime est allaborandum; in ea enim probanda respuendave totius controversiæ cardo vertitur; quo absoluto capite nullus disputationi locus relinquitur. Atque ubi methodica eaque omnibus christianismi principiis consentanea instituitur catholica demonstratio, primum locum sibi vindicat quæstio illa; quæ nisi prius soluta fuerit, reliquæ demonstrationis partes nutant et in obscuro versantur. Eam ob causam traditionem illam, etsi nomen non semper adhibuerimus, omni argumentorum genere comprobare in primis studuimus; neque vero factum modo constituimus, sed et facti necessitatem. Qui autem theologi non secernunt traditionem a traditionibus, plurima congerere solent argumenta quibus traditionum necessitatem commendent aut prorsus evincant, quæ tamen optime quidem in traditionem, at minus in traditiones sæpius quadrent; quin et illud ipsi sen-

quoque εκκλησιαστικον φρονημα. Quam in rem recte etiam notat Mœhler : « Ce sentiment commun, cette conscience de l'Église est la tradition dans le sens subjectif du mot. Qu'est-ce donc que la tradition considérée sous ce point de vue? C'est le sens chrétien existant dans l'Église et transmis par l'Église; sens, toutefois, qu'on ne peut séparer des vérités qu'il contient, puisqu'il est formé de ces vérités et par ces vérités : en un mot la tradition, c'est la parole de Dieu vivant éternellement dans le cœur des fidèles. » *Symbol.* ch. V, § 38, tom. II, p. 24-25.

(1) C. 2.

tire videntur dum in argumentando subinde fit ut reapse non tam traditiones quam traditionem, cujus necessitatem approbent, respiciant : quod quoniam non satis distinguunt, hinc minus expedita cernitur eorum argumentandi ratio (1).

§ 2.

DE TRADITIONIBUS.

Traditiones dicimus ea revelationis christianæ capita quæ scriptis divinitus inspiratis mandata non fuerunt, sed viva tantum voce tradita conservataque. Plures specie distingui solent a theologis apostolicæ traditiones; verum hujus nostri instituti non est varias illas traditionum species persequi ac enodare; hic enim de traditionibus vere divinis eisdemque dogmaticis sermo tantum institui potest. Porro catholici tenent non omnia doctrinæ christianæ capita sacris Scripturis contineri, sed nonnulla, ex eodem divino fonte profecta, de aure in aurem viva solum voce tradita fuisse; atque adeo præter Scripturam traditiones etiam divinas tamquam revelationis rivulum habent ac suscipiunt.

Hoc dogma catholicum in hunc modum exponit Tridentina synodus, de traditionibus divinis tum ad fidem, tum ad mores pertinentibus, verba faciens : « Perspiciensque (sacrosancta synodus) hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, *et sine scripto traditionibus*, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab Apostolis ipsis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, et *continua successione in Ecclesia catholica conservatas*, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur (2). »

Itaque ex catholicorum judicio duplex omnino doctrinæ revelatæ rivulus agnoscendus est, Scripturæ divinitus inspiratæ et traditiones. Protestantes contra aiunt universa religionis decreta in Scripturis inesse; atque

(1) Cff. Canus, *De locis theologicis*, lib. III; Bellarminus, *Controvers. De verbo Dei non scripto*, c. IV. Cl. P. Perrone loquitur quidem cum Mœhlero de traditione *subjectiva*, quo ad distinctionem a nobis declaratam recta duci debuisset; attamen in eo capite, quod inscripsit, *De necessitate et existentia traditionis*, plura miscet, ut vel ex ipso titulo patet, quæ satius discreta fuissent; *Tract. de locis theol.* part. II, sect. II, c. 1.

(2) *Sess.* IV.

hinc conficiunt traditiones, prout has definivimus, nullas esse. Quæ igitur controversia hac in parte catholicos inter et protestantes agitur *quæstio facti* est : quæritur enim an *reapse* omnia divinæ revelationis capita scripta sint necne; catholici negant, affirmant protestantes. Scilicet libenter dant protestantes traditiones divinas, si quæ essent, summo pietatis sensu excipiendas fore, at eas esse inficiantur : « Nec enim, inquit Canus, adeo sunt stupidi, ut verba Christi, quæ modo Christi esse constaret, infirmari pergant, quod non fuerint ab evangelistis scripta. Sed quoniam quid Christus, quidve Apostoli fuerint locuti, eos solum nosse putant, qui Christum et Apostolos audiere : colligunt apud nos nunc ne unum quidem dogma posse traditione probari. Quin oportere omnes fidei et religionis controversias sacrarum literarum testimoniis componere, finire vero nihil, nisi quod sacris literis sit expressum (1). »

Atque ea quidem quæstio, ubi cum protestantibus disceptatio in universum instituitur, non magni momenti nobis esse videtur; ad unum autem Ecclesiæ a Christo constitutæ argumentum omnis controversia recidit, ut ex ante dictis facile liquet. Nihil porro necesse hic habemus traditionum existentiam peculiaribus probationibus asserere; quæ enim in priori parte de apostolica prædicatione deque sacrorum novi Testamenti librorum indole disseruimus, satis ostendunt non omnia revelationis decreta scripta esse; unde sequitur re ipsa esse traditiones divinas. Quod autem attinet ad protestantium agendi rationem, hac in re, quemadmodum in cæteris fere omnibus, ea a justi et æqui tramite prorsus aberrat. Quid enim? Qua tandem arte noverunt totam Christi revelationem Scripturis contineri? Illud profecto scire nequeunt nisi id vel ipsa Scriptura disertis verbis testetur, vel adsit quædam norma certa ac definita ex qua decernere liceat an omnia scripta sint necne; id autem nusquam Scriptura declarat, neque vero ulla est protestantibus regula doctrinæ præter unam Scripturam. Summa igitur animi inconsiderantia ac temeritate traditiones rejiciunt.

Quocirca negari nequit re ipsa esse traditiones; *factum* istud certissimum est. Quod si autem non jam *de facto*, sed *de facti necessitate* quæstio instituatur, diversa profecto ratione respondendum est. Nempe si strictiori sensu traditiones accipias pro dogmatibus non scriptis, facile liquet eas nequaquam necessario existere; fieri enim poterat ut omnia doctrinæ christianæ capita a sacris auctoribus scripto proderentur; quo posito traditiones fuissent nullæ. Theologi nostri qui hanc, quam negamus, traditionum necessitatem constituere videntur, si eorum argumentandi ratio cominus inspiciatur, reapse non de traditionibus, sed de traditione agunt; inde autem obscura, minus firma, sæpiusque minus recta fit ipsorum disputatio, quod traditionem et traditiones per-

(1) *De locis theol.* lib. III, c. 1.

miscent. Et vero traditio, quo sensu eam definivimus, necessaria est, eademque non secus ac Ecclesia, cui inhæret, necessario esset, etiamsi tota Christi revelatio scripta foret; illa enim deficiente Scripturæ nec consisterent nec intelligi possent, et porro christianismus universus labefactaretur. Verum illud in traditiones minime quadrare in promptu est.

Denique quemadmodum antea monstravimus Scripturas ab Ecclesia, quæ traditionem vivam et organizatam exhibet, sejungi nullo pacto posse, ita nec traditiones ab eadem distrahere ulla ratione licet. In Christi Domini instituto omnia belle cohærent atque arctissimo vinculo colligantur : si Ecclesiam, quæ fundamenti loco est, sustuleris, universa simul corruant oportet. Non opus est hic longa oratione approbare necessitudinem illam quæ traditionibus est cum Ecclesia; quæ enim superius de Scripturis disseruimus facili negotio traditionibus accommodari poterunt. Nisi esset Ecclesia, neque etiam forent traditiones divinæ; et nisi adesset *ecclesiastica intelligentia*, quam dicit Vincentius Lerinensis, nisi adesset sensus ille christianus qui ab Ecclesia efficitur, sacræ traditiones non intelligerentur. Atque hinc probe assequor cur sæpius protestantes rationalistæve theologi nihil fere videant in iis quas catholici agnoscunt traditionibus; deest nempe ipsis intelligentia ecclesiastica. Assequor etiam cur negent adversarii traditiones illas integras ac illibatas servari potuisse; sublata enim divina Eeclesiæ auctoritate, quis dicere ausus fuerit nihil prorsus vitii traditiones eas, si quæ sint, infecisse?

VIDIT S. FACULTAS THEOLOGICA.

A. TITS, S. FAC. P. T. DECANUS.

M. VERHOEVEN, S. FAC. P. T. A SECRETIS.

VIDIT RECTOR UNIVERSITATIS.

P. F. X. DE RAM.

INDEX.

Pag.

PARS ALTERA, SEU THEORETICA.

Auctoritatis methodus speculative confirmata et prout in christiana religione spectatur illustrata.

FINIS.